



**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

Pars Secvnda. In qua traduntur aliquot Orationes, & meditationes, quæ
seruiunt ad amorem Dei in cordibus nostris accendendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)

SECUNDA PARS LIBRI SEPTIMI,

In qua traduntur aliquot Orationes, & meditationes, quæ feruiunt ad amorem Dei in cordibus nostris accendendum.

HVIVS PARTIS PRAEFATIO.

Huius praxeos sancti Doctores duos tradunt modos. Unum appellant scholasticum, qui sit considerando cuncta quæ cor nostrum amore diuino possunt inflammare: qualia sunt specialiter beneficia, perfectionesque Dei: horum enim singula nos mutant, ut amemus Dominum, qui tam dignus est amari, & à quo tot bona recipimus. Alterum modum vocant mysticum, qui sit orando, obsecrando, & petendo ab eodem Domino calare hoc donum & beneficium, idque orationibus ardentissimis, inflammatoque desiderio: illud enim vere ipsius donum est, imo donorum illius maximum, quod nemo dare præter illum potest: dat autem lubens petenti cum perseverantia & instantia quam meretur: certissimum enim est, nunquam suo officio defuturum, qui dat, si suo non desit, qui petit. Debet igitur homo in his petitionibus per duos modos prædictos perseverare, magis autem per secundum, quam per primum: is enim & succentrior est, & efficacior. Quia vero non omnes sciunt, quomodo hac considerabunt, donumque hoc modo conuenienti petent, ponuntur hic aliquot meditationes, tam de beneficijs Dei, quam de illius perfectionibus, cum quibusdam ignitis deuotionisque orationibus, in quibus se exercere possint, saltem in initio, qui desiderant in hac virtute proficere. Post exercitium namque hoc, tempus experientia, & Spiritus sanctus, qui verus est huius Philisophia magister, optime docebunt, quid deinceps agendum erit. Et licet orationes atque considerationes hæc scriptæ necessariae sint sepe, & in multis propositis, cum maiore tamen sepe semper feruore atque deuotione fiunt, cum ex cor de procedunt, ipsi verbis, quæ dictabit ipsa deuotio. Quia vero hoc fundamentum est omnium, debet homo potissimum ipsi vi medijs, quæ in hoc exercitio sunt utilissima. Laudatur autem hic ordo, ut exor diamur hoc exercitium à meditationibus & orationibus scriptis: cum autem cor nonnihil inflammatur, tyro reliqua per seipsum peragat, aut quocumque se modo magis sentit excitari, ita tamen, ut orationes sint quasi sentille viue, exsistentes ab inflammato illo desiderio, de quo antea diximus.

SEQUITVR DEVOTÆ BENEFICIORUM DIUINORUM CONSIDERATIO.

CAPVT I.

Interea quæ solent animos potissimum ad amorem excitare, perceptorum beneficiorum est consideratio: quemadmodum enim homo naturaliter amat semetipsum, sic etiam amat eum, à quo si

Granat. Opusc. spiritual.

bi bene fit. Atque ista lex amoris adeo est naturalis, ut etiam animalia bruta, tygrides, leones, serpentes, dracones, & omnia alia, suos agnoscant benefactores, ipsique pro suis viribus exhibent gratitudinem. Quod si id bestia faciant, quid oportet homines facere, qui lumen habent & vsum rationis, cuius ope & benefactorem cognoscere, & beneficium possunt iusto pondere trutinare? Quod si hæc gratitudo, atque amor hic debeatur communibus beneficijs, quid quæso debebitur beneficijs diuinis, quæ tot & tanta sunt, ut nec in nobis, nec extra nos, nec à natura, nec à gratia quicquid boni habeamus, quod non sit Dei beneficium? Hæc beneficia licet non habeant numerum, ut tamé subueniamus aliquo modo memorie, ad decem ea possumus ordines reducere, qui per Psalterium illud decachordum significantur, in quo diuinas laudes Rex David psallere continebat, agens Deo gratias, pro beneficijs ab illo perceptis. Primum igitur beneficium est Creationis, secundum Conseruationis, tertium Redemptionis, quartum Baptismi, quintum Vocationis, sextum diuinarum Inspirationum, septimum à malis Præseruationis, octauum Sacramentorum, nonum Beneficiorum particularium, decimum Beatitudinis promissæ gloriæ. In horum beneficiorum singulis multa quidem essent dicenda: nunc autem obiter ipsa percurram, ut vis & magnitudo cognoscatur beneficij, quæque gratiarum actio & amor illi debeatur.

Horum beneficiorum primum, omniumque aliorum fundamentum est, quod Deus nos ad imaginem & similitudinem suam creauit: adeo ut tot anni transferant, quibus eras nihil, imò ab æterno fuisti nihil, quod sanè minus est, quam formica, quam vermis, quam lapis, quid enim minus quam nihil? & sic permanere in æternum potuisses, nec deterior fuisset mundus, si nunquam creatus fuisses, quam nunc est. Cumque hoc ita se haberet, placuit diuinæ bonitati, sine vlllo tuo merito, sola sua misericordia, & mera sua gratia, te ex illa abyssu, & profundissimis illis tenebris, in quibus ab æterno iacebas, eruere, essentiam tibi dare, & aliquid te facere: non quidem lapidem, non arborem, non autem, non serpente: sed hominem, inter omnes creaturas mundi nobilissimam. Quo in beneficio dedit tibi hoc corpus, cum omnibus suis membris, & sensibus; quorū dignitas tunc demum cognoscitur, cum corpus illorum aliquo priuatur: dedit & animam rationalem, cum omnibus suis potentijs, factam ad imaginem & similitudinem suam: hoc est, immortalem, incorruptibilem, intelligentem, ipsiusque Dei & beatitudinis eius capacem. Ex quo facile colliges, quod si tanta patri & matri debeas, eo quod instrumenta solummodo fuerunt Dei in corporis tui formatione; multo maiora debes ipsi Deo, qui plasmavit & illo, & te; quique sine ipsis animam tuam creauit, sine qua corpus tuum non esset aliud, quam brutum pecus, truncus inutilis, & moles carnis immundissima.

Secundum beneficium, est Conseruatio: non enim Deus tantum ex nihilo fecit te aliquid esse per creatio-

Benefactores
amare naturale est.

Decem Dei
beneficia.

Beneficium
Creationis.

Beneficium
conseruationis.

Bbb 3

Simile.

creationem; sed in ea quam dedit essentia te conseruat, adeo vt si manum suam à te, vel ad momentum retraheret, in idem nihil, quod eras prius, necessario recideres. Quemadmodum enim Sol è se ipso radios in hoc aere producit, atque eosdem in illa essentia, quam dedit, conseruat: sic etiam Dominus noster nos, de non esse, ad esse perduxit, & in eodem esse nos postea conseruat: ita vt der, & quod semel dedit, semper conseruet, quod idem est, atque si absque intermissione nouum crearet. Hunc in finem omnia, quæ in mundo conspiciuntur, creata sunt, cū singula in suo genere hominis conseruationi subseruire videantur. Quædam enim sunt ad hominem nutriendum, quædam ad vestiendum, quædam ad docendum, quædam ad castigandum, quædam denique ad illum sanandum: oportet namque vt in domo boni patrisfamilias inueniantur omnia. Et sanè considerata hic est liberalitas & abundantia, qua cum hic benignus Dominus nobis de omnibus his rebus prouidit. Quot genera ciborum creauit ad nos alendos? quot pellium & tegumentorum ad nos vestiendos? quot herbarum ad nos curandos? quod denique rerum diuersarum formas & species ad nos recreandos? Quædam enim pascunt oculos, vt flores, & colorum varietates: quædam oblectant aures, vt harmonia musices, & auium cantus: quædam recreant nares, vt odores, & aromatum variae species: quædam denique os & palatum afficiunt, vt infinita fructuum, piscium, volucrum, & animalium genera. Omnia enim hæc magis sunt in vsum hominis, quam in proprium condita, magisq; sunt & viuunt homini, quam sibiipsis. Considera igitur quàm liberalis & beneficus est Deus in hac re erga te, & quot beneficiorum genera in hoc vno beneficio tibi præstitit: in eo enim omnes huius mundi creaturæ comprehenduntur, quæ in vsum & obsequium tuum conditæ sunt: non enim vlla harum ipse Deus egebat. Sed & parum illi fuit, quod quæ in terris sunt tibi ferirent, nisi etiam cælestes illæ creaturæ, vt Sol, Luna, stellæ, & Planetæ, idem facerent. Præterea ordinatæ etiam, vt creaturæ quæ supra cælos existunt, quales sunt Angeli, videntes faciem illius, & ad gloriam eius creati, tibi famularerentur, & ad tui custodiam mitterentur.

Beneficium
Redemptionis.

Tertium beneficium, est Redemptionis, quod excedit, & superat omnem humanam eloquentiā. Si enim in eo hæc quinque consideraueris, quid scilicet Dominus in hoc beneficio dedit: medium, per quod dedit: amorem, cum quo dedit: personam, quæ dedit: & personam quæ accepit: singula horum in stuporem & summam admirationem te rapiunt: atque intelliges, nec donum posse maius esse, nec medium conuenientius, nec amorem feruentiorē, nec personam quæ dedit digniorem, nec personam quæ accepit (exceptis Dæmonibus) viliorē & abiectionem. In singulis horum multa sunt meditanda, potissimum autem amoris magnitudo, quo cū Dominus operatus est hæc omnia: paratus enim erat infinitis numeris plura & crudeliora pati, quam passus est, si necessarium fuisset. Similiter & multa hic perpendenda occurrunt in modo, quem elegit, vt opus hoc perficeret; qui fuit, quod omnia mala nostra in se recepit, & omnia bona sua nobis tribuit. Huc faciunt omnia mysteria, & singuli vitæ, mortisq; illius sanctissimæ articuli: quorum singuli singulæ sunt partes huius beneficii, imò singuli per se, singula sunt beneficia, eaque maxima. Huc spectat humilitas incarnationis, paupertas natiuitatis, sanguis circumcisionis, fuga in Egyptum, ieiunium in deserto, discursiones, vigiliae, labores, persecutiones, dolores, & mortis angustia: quæ tanta fuerunt: vt nemo vnquam similis perpeffus sit: pro quibus om-

nibus & singulis infinita Domino reddendæ sunt gratiæ, qui nos tam asperis vijs quæsiuit, & tam caro pretio redemit: quæ omnia non aliam ob causam fecit, & passus est, quam vt manifestissimum nobis amoris sui erga nos daret testimonium, & vt nos isto medio ad similem dilectionem excitaret.

Quartum beneficium est Baptismi, per quod infinita pietatis & misericordiæ Dominus, sine vilo nostro merito præcedenti, sed sola motus sui clemētia, dignatus est nos lauare aqua illa, quæ de pretioso illius latere profluxit: eaque eluere omnes animarum nostrarum maculas, nosque ab inimicorum nostrorum, peccati, inferni, Diaboli, & mortis, tyrānide liberare: faciens nos templum viuū, & suū habitaculum: donās nobis spiritum adoptionis, per quem in numerum filiorum Dei assumimur: dās insuper nobis omnia ornamenta, quæ ad illam dignitatem requiruntur, (vt sunt gratiæ, virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti) quibus compiti & ornati formosi apparemus in conspectu Domini, nouamque accipimus fortitudinem, vt de Diabolo parta victoria triumphemus, & finem, ad quem creati sumus, hoc est, cælestis regni beatitudinem consequamur. Quid igitur Domino pro hoc beneficio retribuēs? Quid dabis ei, qui in tanta multitudine Barbarorū, Infidelium, Turcarum, Maurorum, & Ethnicorum, qui lapides, ligna, & serpentes adorant, te voluit esse Christianum? quique te recepit in gremium Ecclesiæ, in hereditatem domus suæ, & in arcam veri Noe, ne cum ceteris huius mundi generationibus in infidelitatis diluuiū perires, in quo singulis penè momentis tot pereunt animarum millia? Animaduerte quæso, quot animas Deus creauerit eo ipso die, quo tuam creauit, quarum quædam in Turcā, quædam in Indiam, nonnullæ in Barbariam, & aliæ in alias infidelium terras missæ sunt: quodque eadem fors etiam animæ tuæ obtingere potuisset: ceterum benignissimus ille Dominus noluit alibi funiculū tuum cadere, quàm in Paradiso, & gremio Ecclesiæ, quæ est domus filiorum Dei, & suorum prædestinatorum. Perpende nunc, quid dignum tanto munere huic benefactori poteris retribuere?

Quintum beneficium diximus esse Vocationem: Beneficium per hoc vocabulum autem vocationis intelligo, siā vocationis, liquam dū inordinatē, dissolutē, & absque vilo timore Dei vixeris, nunc autem ad meliorem frugem conuersus aliter viuas, & totis viribus tuis contendas, ne quod peccatum mortale committas. Hoc est quod vocationem appello, est enim ea coniectura certissima, quod ad gratiam vocatus es, non enim ea mutatio videtur aut carnis esse, aut sanguinis; sed dextera excelsi. Situ igitur aliquando vixeris in illo miserabili statu, & Deus te nullo tuo merito, sed per solam misericordiam suam potēti manu sua ex illo statu eruerit, & in statum meliorem miserit, in quo nūc es, quàm gratiam illi pro hoc reddes beneficio? Etenim si bene scrutatus fueris, non inuenies vnum tantum, sed multa simul beneficia in hoc vno comprehensa. Vnum namque beneficium fuit, quod tanto te tempore patienter ad penitentia expectauit, nec vitæ huius stamina præcidit, cū adhuc in illo damnationis statu perditus iacebas: cū interim aliorum stamina ruperit, qui fortē nunc in infimo ardent & cruciantur Inferni Barathro. Aliud beneficium fuit, quod tot tuæ sustinuit scelera, tot præsumptiones, tantam tuam turpitudinem, tam præfractam inobediētiā, & tot tuæ flagitia, quæ in illo tuo malo statu tanta cum patientia supportauit. Aliud beneficium fuit, quod loco multorum, quibus eras dignus, suppliciorum, tot admonitionibus & documentis te excitauit, tot magistros, Verbi sui præcones, ad te misit, tot pijs inspirationibus inuitauit,

Beneficium
Baptismi.Beneficium
vocationis.Ben
dici
inf

tauit, & vt periculum fugeres, exhortatus est. Beneficium etiam fuit, quod te vocauit voce tam efficaci, vt potuerit vincula, quibus eras ligatus rumpere; vitorum scilicet delectationem, Demonis potentiam, & mala consuetudinis violentiam: qui funiculus triplex est, quo Diabolus sua vult vincire mancipia, qui difficile rumpitur. Aliud denique beneficium fuit, quod tanquam filium prodigum te in domum suam recepit, tot peccata tibi remisit, (si modo remissa tibi sunt, quod vtinam Deus tibi concedat) viamque ad cælum tibi planam & facilem reddidit; atque aliud cor tibi dedit, cui iam dulce est, quod prius amarum videbatur, & amarum nunc tibi videtur, quod prius dulcissimum esse iudicabas: vt sciposses in bono perseverare. Super omnia vero notatu dignum est, quod hæc omnia fecerit Deus ex pura gratia, meraque misericordia, sine vilo tuo merito precedenti: non enim in illo statu, in quo sopitus iacebas, antea aliquid agere poteras in conspectu diuinæ illius maiestatis digni merito vel premio. Quod putas animarum millia modo torquentur forsitan in inferno, eod quod Dominus tanta non usus est erga illas misericordia, nec tā singulare præstitit illis beneficium? quia, dico, aut illas tanto tempore non expectauit, aut tanta cum patientia non sustinuit, aut quia tam potenter eas non vocauit, aut denique quia tam copiosa gratia illas non confirmauit? Caterum dic mihi quæso, quid tu amplius fecisti, quā illi fecerunt? quare meruisti, vt tu esset illis felicitior? Si ambo vnum idemque iugum traxeritis, si in vno eodemque lecto dormiueritis, (hoc est, si eodem delicto aut peccato fueritis ambo implicati) qua re meritis es, vt tu ad gloriam voceris, ille penis inferni asseruetur, cum ambo eodem errori fueritis obnoxii? Cur tu electus es, vt sis vas honoris in mensa Domini, alter autem reprobatus, vt sit vas ignominie, & seruiat Demonibus? Percurre transactas ætates omnes, subdite numerū puerorum, & iuuenum, quos habuisti vicinis, amicos, aut socios tuorum criminum; qui fortē perseuerarunt, & mortui sunt in illo statu, ex quo Deus te eripuit: considera diligenter quā magna fuit hæc misericordia, quod perseuerantibus alijs in illo misero statu, Deus te ex illo periculo clementer exempt, qui tamen in eadem cum ipsis cymba nauigasti. Cōuertere igitur ad Deum, & dic: Ah Domine, quid in me vidisti in quo mihi obligatus es? q. obsequiū tibi vnquam feci? vnde mihi venit tantum bonum? qua re merui Domine, quod relictis illis in tenebris, mihi lucis tugradium misisti? quid tibi reddam, Domine, pro hoc beneficio? quibus tibi verbis gratiarū dicam actiones pro hac misericordia? Lingua mea & cor meum laudent te, & omnia ossa mea dicant, Domine quis similis tibi? Quis potuisset hanc facere mutationem præter te? Quis me potuisset e faucibus draconis illius infernalis liberare, nisi tua misericordia? quid poterat mihi dulce amarum, & amarum dulce facere, nisi tua potentia? *Confitemini Domino* (ait Propheta) *quoniam bonus, quoniam in seculum misericordis est eius.* Cui vis vt confitear, o Propheta, & quis dignè poterit eius laudes enunciare? Respondet Propheta: *Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici.* Illi enim, illi præcipue linguam habebunt doctam ad laudandū Dominū, qui immensum hoc beneficium experti sunt.

Sextum, beneficium est diuinarum Inspirationū, bonorumque; propositorum, quæ Dominus homini immittit, quibuscum eum continuè incitat, & ad bene operandum vocat. Quemadmodum enim cor humanum sine intermissione de se in omnia corporis membra spiritum & calorem diffundit, sic Spiritus sanctus (qui iuxta D. Thomam est quasi cor Ec-

clesiæ) iugiter pias inspirationes, & bona proposita mittit in animas eorum, quos inhabitat. Secundum hanc igitur doctrinam, quotquot vnquā opera bona fecisti, quotquot bona proposita & desideria vnquam habuisti, quotquot vnquam lachrymas fudisti, quotquot consolationes Spiritus sancti recepisti, quotquot passus pios ambulasti, quantum lumen & gustum de Deo habuisti, quotquot bona cogitasti, quotquot sancta negotia expediisti, omnia hæc diuina sunt beneficia. Quemadmodum enim omnes guttæ, quæ in terram decidunt, ex mari suam habent originem, (mare namque omnium aquarum fons est) sic etiam quotquot bonorum genera ab hominibus procedunt, omnia ab vniuersorum bonorum abyssu, qui est Deus, deriuantur. Quemadmodum enim homini infirmo & valetudinario, qui multum infestatur a somno, adiungitur aliquis iuxta lectum sedens, qui frequenter illum admoneat, ne dormiat: ita debemus imaginari Spiritum sanctum nostro lateri astare, & hoc idem nobis præstare officium: facit autem hoc tot vijs & modis, tamque continuè, vt videatur ab alijs omnibus negotijs ferari, & huic soli incumbere. Quotiescunq; igitur homo sese moueri sentit interius, & se admoneri vt euigilet, Deiq; memor sit, aut manus ad aliquod opus bonum mittat, confestim agnoscat visitationem ac beneficium diuinæ præsentie, & exhibeat illi in anima sua maximam reuerentiam, agatque pro inestimabili hoc dono gratias, & se ad executionem illius, ad quod vocatur, accingat.

Septimum beneficium est à multis malis præseruatio, seu defensio: in hoc beneficio comprehenduntur omnia malorum genera, quæ in hoc mundo reperiuntur, à quibus Dominus nos, pro sua misericordia, liberauit. Inter hæc mala quadam sunt Naturæ, quadam fortunæ, quadam denique culpæ qualia sunt omnia peccata. Certò igitur statuendum est, nō inueniri aliquod malum in vno homine, quod non etiam in alio possit locum habere: quandoquidem homo est sicut ille, filius Adæ sicut ille, in peccatis conceptus sicut ille; eiusdem denique naturæ, eiusdemque culpæ, & proinde eidē quoque miseriæ subiectus. Iuxta hanc igitur rationem omnino tibi persuadeas oportet, omnia mala, quæ in mundo sunt, esse tibi beneficia: in singula namque ipsorum incurere potuisses, nisi Deus pro sua misericordia te ab illis præseruasset. Videbis vnum esse cæcum, aliū claudum, tertium mutilatum; hunc podagricum, illum hernia, istum calculo cruciari: quidam in carceribus computrescunt, nonnulli seruitute premuntur intolerabili: alij ad triremes, alij ad furcas condemnantur; aut alijs malis, quæ quotidie occurrunt, implicantur. Quotiescunq; vides hoc, flecte genua cordis tui, leua manus ad cælum, oculosque ad Deū tuum, & dic: Domine ob hoc tibi arctius deuinctus sum. Benedictum sit semper nomen sanctum tuum: Fateor, Domine, fateor, non minis mihi malū hoc potuisset euenire, quā huic, aut illi: & si mihi euenisset, forsitan patientiam perdidissem, & mortem desiderassem; lubensque omnes mundi thesauros dedissem, vt à malo illo liberari potuisssem; quin etiam pedes illius osculatus essem, qui me ex illo malo eripere potuisset, imò me illi seruū tradidissem. Osculor igitur pedes tuos, O dulcissime Domine mi, & me tibi perpetuum seruū mancipio, atque infinitas gratias ago, eod quod tua misericordia sic vitam meam direxit, & custodiuit, vt ab omnibus istis malis immunis essem.

Octauum beneficium est Sacramentorum, potissimum autē Confessionis & Communionis, quibus frequentius: quā ceteris, vtimur. Animaduerte igitur & perpende, quid huic Domino debeas, qui præ-

*Beneficium
præseruatio-
nis.*

*Beneficium
Sacramen-
torum.*

Confessio.

Simile.

Eucharistia

Beneficia
particularia.

tiosius lateris fontem tibi semper offert apertum, & scaturientem, ut immergaris in illo, & animam tuam, quoties peccatorum fordibus est inquinata, in eo lotam emacules. Quid est Sacramentum Confessionis, nisi fons limpidissimus, ad eluendas nostras infirmitates? mediumque efficacissimum, per quod Deo reconciliamur merito sanguinis Christi? Dic mihi, si ad mortem aliquam ignominiosam esses condemnatus, siue ut virgis per publicas plateas exdereris, siue ut in furcam tollereris, quidam verò amicus tuus, ex mera sua generositate & sympathia, in locum tuum descenderet, & ignominiam virgarum aut furcæ in se pro te reciperet; quid si illum nudum, vinctis à tergo manibus, collo funibus implicato, virgis immaniter cædi videres, quibus id oculis intuereris? quid illi pro hoc beneficio non deberes? Idem in Sacramento Confessionis fieri cogitandum est. Tuenim propter peccata tua ad mortem perpetuam damnatus eras: filius autem Dei tui misertus, peccata tua in se recepit, flagellaque & sententiam, quæ te manebant, ipse sustinuit: atque in virtute illius satisfactionis Deus Sacerdoti mandauit, ut te ab æterna pena absoluat: quia debitum tuum soluit, & penam tuam luit ipse Dei filius. Quo igitur corde, quo amore, quibus oculis illum intueberis, qui tanta fecit & passus est pro te: & quid non æquum est ut facias vicissim pro illo? Sed quid dicemus de Sacramento Communionis? Hoc est Sacramentum Sacramentorum, mysterium mysteriorum, beneficium beneficiorum, & mirabilem diuinorum memoria. Hoc est Sacramentum gratiæ, charitatis, amoris, vniõis, deuotionis, remissionis & omnium bonorum: hic homo visitatur à Deo, hic honoratur diuina præsentia; hic templum viuum corporis Christi efficitur; hic gratia datur in maxima abundantia; hic suauitas diuina in proprio fonte gustatur; hic diuini amoris ardor accenditur; hic anima verum & legitimum Sponsum suum amplectitur, ex quo admirabiles delectationes in illa exurgunt. Hoc est viaticum, cum quo ad cælum est proficiscendum: hic est panis, qui confortat cor eorum, qui laborant in vinea Domini. Hic renouantur bona proposita, hic reuiviscunt bona desideria, hic crescit deuotio, hic lachrymarum fontes aperiuntur, hic animæ iuuentus renouatur, hic anima Christo paciscitur, qui proprium illius est pabulum, & summum bonum, quo frui potest in hoc seculo. Manducare namque Christum, non est aliud, quam spiritus illius, sanguinis illius, gratiæ illius, meritorumque & laborum illius fieri participem. Quemadmodum enim qui manducat, suum facit, quod manducat; sic qui Christum manducat, spiritum & gratiam Christi sibi applicat; ut sic in illum transformatus; eisdem oculis à Patre respiciatur, quibus filium ipsi aspexit; non iam amplius ut hospes & peregrinus, sed ut filius; non quidem natura, sed adoptione & gratia. quid igitur Domino pro tanto beneficio retribuamus?

Omnia beneficia, de quibus hactenus egimus, omnibus fere communia sunt Christianis: restat nunc, ut de quibusdam particularibus & occultis dicamus, quæ unusquisque seorsim accepit: quæ uti ab alijs intelligi non possunt: sic ab ijs, qui illa receperunt, ignorari nequeunt. Percurre igitur tria illa bonorum genera, quæ in homine inueniuntur: ut sunt bona naturæ, fortuna, atque gratiæ: & perpende in quibus reliquos homines superas, ijsque præstantior es, atque agnosces etiam pro illis te Deo debitorem esse. Quantum ad bona quæ à natura sunt; considera naturales habitus & aptitudines quas tibi dedit, qualia sunt ingenium, conditio, naturalis discretio,

parentes, patria, genus, familia, fortitudo, sanitas, vita, & alia plurima: omnia hæc particularia sunt beneficia. Quantum ad bona fortunæ: cogita diuitias, quas tibi largitus est, honores, dignitates, officia, & similia: quæ quidem nobiscum non generantur: sed à diuina nobis prouidentia postea data sunt: licet mundus ea fortunæ bona solet nuncupare. Quantum ad bona gratiæ; hic diligenter attendendum est, an aliquod singulare bonum acceperis à Domino, ut sunt lachrymæ, deuotio, castitas, charitas, contemptus diuitiarum, officiorum, & dignitatis: an contentus fueris sorte quam Deus ipse dedit. Examina temetipsum, an longo tempore te à lethali peccato custodiueris; quod maximum profectò indicium est diuinæ gratiæ. Reuoca in memoriâ pericula, tentationes, & tribulationes, quæ omnia ope misericordiæ atque prouidentia Dei superasti, cū alijs rebus similibus. Bonis gratiæ coniunge quoque apparatus omnes, omniaque auxilia, quæ Deus tibi ad bene viuendum contulit: ut sunt Magistri, Confessarii, concionatores, amici, socii, doctrina, officium, & status, in quo te collocauit. Cōsidera an Sacerdos sis, an coniugatus, aut fortè ab onere matrimonij liber, & si cum hoc contentus viuis & securus, quod maius bonum est quàm primū. Ante omnia autem considera, an sis Religiosus, maxime in aliqua provincia & monasterio, in quo regularis viget obseruantia. Etenim si in mundo quicquid inueniatur, quod calce poterit assimilari, id sanè communis est congregatio, vitæque Religiosæ obseruantia. Sunt & alia beneficia, his præmissis, occultiora; quæ ab ijs non cognoscuntur, quibus data sunt. Infundit enim Dominus aliquando suas gratias tam occultè & tacite, ut ipse qui recipit, non intelligat, teste Iob, qui ait: *Si uenerit ad me, non videbo; se abiit, non intell. gā.* Ita legimus de Moyse, qui descendens de monte, faciem habebat splendens, & lucem quæ secum adferebat, non videbat, donec populus id illi significaret. Quod autem Dominus hoc facit, duplex est misericordia, est enim securitas à periculo superbiæ; utque gratia in nobis securius habiteret, ita nobiscum agit Deus. Quod quid aliud est, quàm dare alicui thesaurum, & arculam addere, in qua potest custodiri? Porro quemadmodum dona quadam sunt occulta, sic etiā sunt à malis occultæ præseruationes, à quibus homo præseruatus, præseruari se non intelligit. Quid scis quæso, si aliquando fortè decreueris ire per hanc plateam, in qua tibi occasio alicuius mali posset offerri, ut Dauidi, & Dominus impedit illud, aut mox animum mutat, ut relicta via prior, aliam ingrediaris, & sic à periculo libereris? Quoties nobiscum agit Deus, quomodo cum D. Petro egit, cum diceret: *Ecce Satan as expetuit vos, ut eribrat et sicut triticum: sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Quoties Deus paternam suam prouidentiam ingruentia nobis pericula præiudicet, & Dæmoni viam præclusit, atque aduersarij nostri vires fregit, ne aduersum nos præualeret? Non minus igitur ad agendum Deo gratias obligati sumus pro beneficijs illis occultis, quàm pro manifestis: imò etiam magis. Dicit enim Doctor quidam: Sicut Dominum peccatorum occultorum indulgentiam petere debemus, sic etiam pro occultis beneficijs illi gratias agere par est.

Decimum, est beneficium glorificationis, quæ in futuro promittitur, & nunc possidetur spe. Hic potest homo cor suum quantum placet dilatare, in considerando tam magnifico præmio: visumque suum, quantum potest, extendere in magnitudinem bonorum sibi reuerentium contemplando. Ascende igitur, frater mi, cū spiritu in hanc nobilē regionem, & considera diligenter quid erit videre pulchritudinem supernæ illius ciuitatis, muros & portas ex gemmis & lapi-

Iob. 9.
Exod. 34.

2. Reg. 11.

Lucæ 22.

Beneficium
glorificati-
onis.

& lapidibus pretiosis constructas, plateas auro purissimo stratas, & fontes aquæ viuæ? Quanta voluptas erit videre nouem choros Angelorum in suas hierarchias distributos, tā pulchros, gloriosos, bene ordinatos, & adeo resplendentes? Quanta erit delectatio videre Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum exercitus? At multo iucundius erit videre gloriosissimam Virgine Mariam, super omnes choros Angelorum exaltatam: iucundissimum verò, & quo iucundius nemo quid potest imaginari, erit sacratissimam illam Christi Domini, & fratris nostri humanitatem, à dextris Patris sedentem, sine intermissione pro nobis orantem, nostraque negotia coram tribunali sanctissimæ Trinitatis agentem, conspiciere. Quæ læticia, quod gaudium, quæ admiratio erit videre illū, in quo videntur omnia? in quo fruimur omnibus? intelligimus omnia? poscimus omnia? Quid erit denique immensam illam videre lucem infinitam pulchritudinem, diuiciarum pelagus, deliciarum abyssum, & viuum bonorum omnium fontem? Quid erit audire cōcentus & harmonias illas musicas, illis accumbere mensis, obambulare per istas plateas, conuersari cum istis ciuibz tā nobilibz, tam sanctis, tam formosis, tam sapientibus? Quid igitur non debes Domino, qui te ad tanta bona creauit? qui te redemit? qui te huc vsque expectauit? qui ibi tot, tamque diuersa præbet subsidia, vt ad hanc coronam peruenias?

Proinde infinitas atque immortales Deo gratias, pro tot, tantisque beneficijs, omni iure agere debes. Vt autem id maiori cum attentione possis facere, vtilissimum erit in hac gratiarum actione procedere, sermones cum ipso Deo miscendo, & verba tua ad ipsum dirigendo. Etenim (vt supra inuimus) cor magis est attentum, spiritus magis eleuatus, & animus magis religiosus, cum hac omnia considerat, & simul cum Deo sermocinatur; quam cum ea secum solum meditat. Colloqui namque cum suprema illa Maiestate actus est, qui spiritum hominis eleuat: ita vt minus diuagetur, minus torpescat, & non tam facile cuiuslibet pateat imaginationi: timor enim & reuerentia illius, quo cum loquitur, cor retinet in officio, & mentem reddit magis attentam. Postquam homo ad hunc modum gratias egit, poterit omnes simul creaturas, tam quæ in cælis, quam quæ in terris sunt, inuitare, vt secum laudent hunc Dominum, & benedicant illi, qui tam misericorditer & liberaliter secum egit. Vtile ad hoc erit subsequens Canticum, si cum ardentissimo diuina gloriæ desiderio pronuncietur.

CANTICVM.

CAPVT II.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.
Benedicite Angeli & Archangeli Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.
Benedicite Virtutes & Dominationes Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.
Benedicite Principatus & Potestas Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.
Benedicite Throni, super quos sedens iudicat Dominus, Domino, laudate & superexaltate eum in secula.
Benedicite Patriarchæ & Propheta Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.
Benedicite Apostoli & Euangelistæ, fundatores Ecclesiæ Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite gloriosi & triumphales exercitus Martyrum Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Pōtīfices sancti, & beati Confessores Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite sancti Monachi, Anachoretæ, & eremii cultores Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite celi Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite stellæ celi Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite Sol & Luna serenissima mundi lumina Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite aquæ & niues Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite noctes & dies Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite frigus & ætas Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite arbores, herbæ, fructus, & omnia germinantia in terra Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite rores & pruina Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite fulgura & tonitrua Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite omnes volucres celi Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite pisces & omnia quæ mouentur in aquis Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite montes & valles Domino, laudate, & superexaltate eum in secula.

Benedicite saltus & syluæ Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite fontes & flumina Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite omnes bestias syluestres, & domestica Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicant omnia opera Domini Domino, laudent & superexaltent eum in secula.

Benedictio, claritas, sapientia, gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo sit Deo nostro, per omnia secula seculorum. Amen.

SEQUVNTVR SEPTEM ORATIONES

deuota ad impetrandum amorem

Dei vtilis.

CAPVT III.

Post prædictam de beneficijs diuinis considerationem, sequuntur adhuc aliæ septem, cum de perfectionibus Dei, tum etiam de amore illius, quo homines complectitur: nihil enim magis ad amandum prouocat, quam amari. Quia vero amor hic, quem Dominus erga nos gerit, potissimum emicat in oratione Dominica, in qua dicitur aperte, Deum esse Patrem nostrum, & nos eius esse filios adoptiuos; post tres primas orationes sequentes, quæ sunt de perfectionibus Dei, aliæ tres sequuntur de oratione Dominica; quibus subijci potest alia, qua seruienti quodam desiderio petit homo à Deo verum & perfectum eius amorem; vt harum numerus septenarius, septem diebus septimanæ queat accommodari, cum singula dies propriam suam habeant orationem, ne sit necesse eandem orationem quotidie repetere. Ad finem autem singularum precationum istarum, repeti potest præcedens Canticum, & omnes

& omnes Creatura, vt iuuent nos laudare Dominum, possunt inuitari. Hoc efficacissimum est medium, vt amor noster erga Deum inflammetur. Cū enim amare nihil aliud sit, quā bene velle illi, quē amamus, (is enim precipuus est amoris effectus) certē nihil gratius, nihil excellentius illi Domino possumus optare, quā vt benedicatur & laudetur ab omnibus suis creaturis. Cū enim omnibus bonis plenus sit, hoc solo (si sic dicere liceat) eget: quāuis id nullum in eo defectum faciat, cū ipse non eget, sed potius nos, quā ad hoc illi sumus deuotissimi.

Ad hoc autem facilius faciendum, & maiori cum deuotione, habemus aliquot Psalmos in Davidis Psalterio. Quemadmodum enim septem sunt Psalmi notissimi ad penitentiam vtiles, quare & Penitentiales dicuntur, sic alij septem sunt diuinis laudibus accommodati, quos encomiasticos appellare possumus sunt autem hi: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ &c. Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus &c. Exultabo te Deus meus rex &c. Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus &c. Lauda anima mea Dominum &c. Lauda Hierusalem Dominum &c. Laudate Dominum de celis &c.* Horum Psalmorum primi duo canuntur in matutinis precibus, diebus Sabbathinis; quinque reliqui circa finem Psalterij reperiuntur. Potest igitur deuotus amator Dei animum suum diuinis istis verbis excitare, quoties vult, dicendo sub finem singularum sequentium septem Orationum, vnum illorum Psalmorum; aut si id facere non poterit, licebit (vt diximus) vnamquamque cum præcedenti Cantico concludere, aut Canticum Ambrosij & Augustini; *Te Deum laudamus*, singulis subijcere.

PRIMA ORATIO.

DE PERFECTIONIBVS DIVINIS.

CAPVT IV.

Psalm. 17.

Diligam te Domine (inquit Propheta) *fortitudo mea: Domus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum* Si voluntas nostra, Domine, adhuc in illa perseveraret puritate, in qua tu illam condidisti, & donis gratis tuæ locupletasti, non mihi tot considerationibus & stimulis opus esset, vt ad amorem tuum inclinaretur: cibus namque delicatus famelico propositus vltro inuitat eum ad manducandum. Postquam autem gustus noster per peccatum corruptus est, varia condimenta, diuersique sapores meditationum & considerationū sunt necessaria, vt panis Angelorum ei dulcis efficiatur, & ad manducandum inuitet; quandoquidem tam propensus est ad cibos & delectationes bestiarum. Quia tamen conditio voluntatis nostræ est amare quauis excellentiora, & perfectiora; ecce, Domine, nunc volo meos oculos leuare, vt perfectionum tuarum lucem atque admirabilem tuam essentiam intueantur, vt per illud medium tepiditas cordis mei in amore tui accendatur.

Percurre igitur, o anima mea, percurre tanquam apes diligentissima omnes perfectionum flores, qui in isto horto concluso iucundissime vernant in side singulis, & collige ibi rorem æternæ suauitatis, quo te onurias, & impleas sinum tuum dulcedine celestis illius liquoris. Da mihi, Domine, vt amem te ex toto corde meo, tota anima, & totis viribus, quemadmodum amari vis, & præcipis: cū enim infinitè perfectus sis, ideo amore dignus es infinito.

In te solo reperiuntur omnes perfectiones & pulchritudines omnium creaturarum; & quidquid per vniuersum hunc mundum, quem tu condidisti, pulchri sparsum cernitur, id omne in te, & quidē multo præstantius reperitur. Etenim si tu creaturis omnes, quas ipse habent, perfectiones dederis; & nemo illud dare possit, quod ipse non habet: necesse est, vt in te omne id insit, quod illi dedisti, quod creasti.

Quod si in hoc orbe terrarum vnus tantum esset Imperator, cuius iurisdictioni subessent innumeri Vicarij, gubernatores, proreges, & magistratus ab illo creati & constituti: certum est, omnes iurisdictiones & principatus illorum inferiorum sublimiori & perfectiori modo fore in illo summo & vnico principatu, à quo omnes alij procedunt. Cū itaque tu, Domine, supremus sis Imperator & Monarcha mundi huius, cumque Creator sis omnium perfectionum, quæ in illo reperiuntur: necesse est omnes eas inueniri in te, qui omnes condidisti.

Videmus similiter, Magistrum aut Pedagogum, cuius officium est docere discipulum, & sapientem efficere, oportere, vt ipse sapiens sit, & doctus, si discipulus debeat talis euadere. Sed si tu, Deus meus, omnia dirigas in vltimam suam perfectionem: necesse est, quod in te copiosissime inueniatur illud, quod creaturis tuis communicas. Hanc ob causam diuina Scriptura te tam varijs nominibus appellat, vt hac ratione multitudinem infinitarum perfectionum tuarum significet: aliquando enim te vocat Solem, Lucem, & Mare; nonnunquam Aquilam, Leonem, & Agnum: subinde Panem calis, Aquam vitam, Stellam matutinam: quibuldam in locis etiam Flos campi, Lilium conuallium, & alijs similibus nominibus nuncuparis. Cū enim tu, o Domine mi, sis mare omnium perfectionum, cumque omnes creaturæ tam inopes sint, si tecum conserantur, Scriptura tam varijs vtitur comparationibus, vt significet multis vocabulis, quod vno exprimere poterat. Quare non ineptè dictum est à quibuldam Philosophis, te nulli rei commodius posse assimilari, quā ipsi mundo, quem tu condidisti: hac tamen conditione, vt omne quod materiale & imperfectum est in mundo tollatur, & omnis perfectio tibi adscribatur. Quemadmodum enim cū dicimus hanc vel illam statuam hominis imaginem esse, non volumus significare lapidem, lignum, aut æs illud, ex quo facta est, imaginem hominis esse, sed figuram solam hominem representare: sic cū dicimus hunc mundum tuū esse imaginem, necesse est, vt omne tollamus materiale, corruptibile, & imperfectum: tibi quæ omne, quod perfectum est, attribuiamus. Hoc modo rectè dicimus mundum inter omnia potissimum tibi similem esse: quemadmodum enim in hoc mundo visibili sunt omnia, sic etiam in te sunt, & quidem modo longè præstantiore: adeo vt tu sis mundus omnium perfectionum, pulchritudinis, & omnipotentie, mundus bonitatis, suauitatis, iustitiæ, misericordiæ, omniumque diuitiarum. Quare quemadmodum omnia quæ in mundo existunt, præsentia sunt mundo, adeo vt nihil in eo sit reconditum, nihil vsque eo arcanum, quod præsens illi non adest: ita nihil est quod diuinis tuis oculis non sit præsens, nihil enim magnitudinis tuæ finem, nihil infinitam tuam sapientiam potest fugere. Propterea dicit Propheta: *Quoibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in caelum tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dexteræ tua.* Si igitur mundus comple-

fitur

1474.

aitur & continet in se omnia; multo perfectius omnipotentia ea complectitur, ideoque nulla est elabendi simulæ, nec tuam datur fugere diuinam potentia: neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus quoniam Deus Iudex est, & scrutatur omnia, videt omnia.

Quemadmodum igitur hominem partum appellamus mundum, comparatione huius magni, totus enim ille magnus mundus in homine reperitur: ita dicimus te, o Domine mundum esse maximū, a te enim tanquam effectus a causa, & tanquam opus ab opifice, minor hic processit. Quidquid igitur boni in hoc minori mundo inuenitur, id omne perfectius inuenitur in te: in illo enim tanquam in creatura omnia sunt imperfecta, in te verò, tanquam in Creatore omnipotente, sunt perfectissima: in ipso sunt omnia corporaliter, & transitorie, tanquam corruptibilia; in te vero sunt spiritaliter, æternaliter, & modo supernaturali, ac diuino: in Deo enim omnia Deus sunt. Ab hoc igitur mundo immenso prodijt hic paruus, pulcher à pulcherrimo, diues à ditissimo, perfectus à perfectissimo: visibilis ab invisibili, temporalis ab æterno. Quamuis igitur mundus hic factus fuit ex nihilo, quantum ad materiā, non tamen ex nihilo factus est, quantum ad formā exemplarem: formatus enim est iuxta formam, figuram, & prototypum, quod erat in te. Quemadmodum enim in semine alicuius arboris, modo quodam occulto & incomprehensibili, tota arbor est: sicut te (qui principium & architectus mundi es) totus mundus est; quia à te egressus est: nisi quod arbor sit in semine, tanquam in causa materiali, ideoque confusa & imperfecta, quemadmodum literæ sunt in arramento, & domus in lapidibus, calce, lignis, & alijs rebus; ex quibus construitur: in te autem totus mundus est, tanquam in causa efficiente, & formali: ideoque in te perfectius & distinctius est mundus, quam in semetipso. Et (si liceat magna paruis, & humilibus excelsa comparare) quemadmodum in officina celebri alicuius Typographi, præter ipsum magistrum qui præest, & periculum regit, diuersi sunt typi, & varia literarum forma, quædam magnæ, quædam parvæ, nonnullæ simplices, aliaque ornamentis varijs per circuitum expolitæ, aliæque genera diuersæ: sic ego, Domine mi, sic tuum contemplor diuinum intellectum, tanquam maximam & regiam officinam, ex qua prodijt vniuersi mundi typographica delineatio: & in te non tantum recondita est virtus efficiens, & omnium rerum operatrix: sed etiam infinitæ formarum differentia, & figura pulcherrimæ, iuxta quas etiam prodierunt species & formæ omnium rerum creaturarum, quas videmus, & non videmus: licet ista formæ, quantumvis etiam multæ sint & variæ, in te multæ non sint, sed vna forma sola; quæ est essentia tua simplicissima, quam diuersæ creaturæ participant, modis diuersis. Adeo vt extra te nulla inueniatur creatura: quæ non habeat formam & imaginem suam in te, ad quam formata est. Hæc sunt illæ Ideæ, quas Philosophi in diuino tuo intellectu constitebant, quæ sunt tanquam typi & literarum formæ, quæ in officina Typographi videntur, quibus excusos est mundus hic pulcherrimus, eademque facilitate mundi adhuc mille excudi potuissent: ad omnes enim illos producendos erant formæ & perfectiones in te.

Cum tu igitur, o Domine mi, dederis omnibus rebus essentiam & perfectionem, omnino consequens est, omnes illas etiam in te esse; idque modo plane mirabili. In te sunt perfectiones omnium Angelorum, magnitudo cælorum, splendor Solis, Lunæ, & Stellarum; virtutes Planetarum, pulchritudo camporum, venustas florum, amenitas vallium, clari-

tas fontium, dulcedo saporum, suauitas odorum, sapientia sapientum, fortitudo fortium, sanctitas omnium Sanctorum. Quicunque igitur te fruetur, fruetur sanè omnibus, & omnia in te videbit perfectius, quam si ea in proprijs videret naturis, & substantijs: quare & cognitio nostra dicitur cognitio nocturna, illa autem quæ in te est, diurna, imò meridiana.

Porro si perfectio rerum omnium tam sit amabilis, quāto magis tu eris amabilissimus, Domine mi, in quo reperiuntur omnes perfectiones in tam super effluenti abundantia? Da igitur mihi gratiam, Domine mi, vt diligam te, si nō quantum diligi mereris, saltem quantum mihi in hac vita est possibile, diligam te ex toto corde meo, tota anima, & totis viribus, O dulcissime, benignissime, amantissime, pulcherrime, charissime, suauissime, altissime; O admirabilis, ineffabilis, inestimabilis, incomparabilis; O potens, magnifice, liberalis, incomprehensibilis, infinite, immensè omnipotens, O tu qui es totus pius, totus amabilis, melle dulcior, niue candidior, omni voluptate delectabilior, omni liquore delicato suauior, auro & gemis pretiosior: sed quid dico, cum omnia hæc dico? Tu es Deus meus, vita mea, vnica spes mea, misericordia mea maxima, dulcedo mea beata: O totus amabilis, O totus dulcis, O totus delectabilis. Da mihi, Domine, vt in te solo gaudeam, in te solo quiescam, te semper amē, tibi sine intermissione seruiam, de te cogitem vigilans interdū, de te somniem noctu dormiens: vt ego sim semper tuus, & tu meus, per omnia secula seculorum. Amen.

SECUNDA ORATIO.

DE IISDEM PERFECTIO-
nibus diuinis.

CAPVT V.

DA, vt te diligam, Domine mi, Creator mi propter nobilissimam tuam & perfectissimam essentiam: quæ tam propria & naturalis in te est, vt nullus queat capere intellectus quicquam, quod non es. Nisi enim tu esses, nihil esset: omne enim quod est, à te dependet. Esse autem tuum à nemine dependet, nisi à teipso: non enim est esse ab alio acceptum aut mutuum, sed proprium: ideoque nec limitatum est, nec certa mensura comprehensum: sed vniuersale, & infinitum: quoniam in se omnes essentias comprehendit.

Diligam etiam te, Domine mi, quoniam tu es ordo & regula (vt quidam Philosophus ait) rerum omnium, omniumque substantiarum mensura: singula namque substantiæ, quāto proprius ad te accedunt, & plus de te participant, tanto sunt nobiliores, & in esse suo perfectiores. Inter quas illæ, quæ tantum sunt, infimo loco ponuntur, vt sunt elementa: his paulò altiores sunt, quæ sunt & viuunt, vt plantæ: his etiam præstantiores sunt, quæ, præterquam quod sunt & viuunt, etiam sentiunt, vt animalia: inter quæ nobiliora sunt, quæ præter hæc omnia etiam intelligunt, vt homines, atque inter illos nobilissimi, qui sunt in gratia & charitate: sunt enim tibi viciniore, & plus de te participant: quādoquidem, sicut Euangelista tuus dixit; *Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Diligam etiam te, Domine, quia tu solus causa es omnium rerū maximè vniuersalis: id quod & Philosophi solo naturalis rationis ductu cognouerunt, cum viderent esse impossibile, quod in causis ordine quodam sibi succedentibus in infinitum procederet;

1. Ioan. 2.

de retur; sed oportere tandem omnes vnum habere scopum, & finire in vna prima causa, unde illæ processissent, & à qua mouerentur, quæ quali primaria rota est in horologio, à qua mouentur omnes aliæ, aut primum Reipub. caput, à quod dependent omnes causæ inferiores: & hoc idem tu es in hac magna mundi Republica.

Diligam præterea te, Domine mi: tu enim es vita felicissima, & auctor omnium viuætiæ. Si enim præstantius est, quod vitam habet, eo quod non habet; tu autem omnium rerum sis præstantissimus, necessariò sequitur, quòd vitam habes: & si melior sit vita rationalis, quàm irrationalis, etiam consequens erit, te vitam habere rationalem, & super omnem intellectum intellectualem. Similiter si melior sit vita felix & beata, quàm infelix & misera, etiam dicam vitam tuam esse felicem; & quia tu maximus es & optimus, etiam vita tua super omnes alias vitas erit felicissima. Da igitur mihi, Domine, vt te diligam: quia tu es fons beatitudinis & vitæ, à quo vitam perceperunt omnia quæ viuunt, in quo viuimus, mouemur, & sumus; à quo, & per quem viuunt omnia, quæ viuunt feliciter.

Diligam te, Domine, quia potentissimus es conseruator & sustentator omnium rerum creaturarum; quæ vt à non esse ad esse peruenire non potuerunt sine te, sic etiam sine te in eodem esse non possunt conseruari. Tu es qui sedes super celorum thronos, & intueris abyssos. Tu (vt dicit Propheta) *tribus digitiis* (hoc est, magnitudine tuæ potentie, sapientie, & bonitatis) *appendis molem terræ; & libras in pondere montes, & colles in statera. Tu circumdediti mare terminis suis, & posuisti illi vultes & ostia, & dixisti, Usque huc venies, & non procedas amplius, & hic confringes tuos fluctus tuos.* De te merito canit magnus ille Philosophus Christianus in suis carminibus.

Esa. 40.

Boet lib.
3 de Philo.
metro 9.

*O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum calique sator qui tempus ab ævo
Ire iubes, stabiliq; manens das cuncta momeri.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis
Arida conueniant liquida: ne purior ignis
Enolet, aut mersa dediscant pondera terras.
& infra:*

*tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.*

Amare te debeo, mi Domine, quia fons es sapientie, à quo omnes sapientie & scientie thesauri procedunt. Quemadmodum enim Sol vniuersalis principium est, & causa omnis in mudo lucis, cuius beneficio videmus omnia, quæ videri possunt: sic tu lux es inuisibilis, & Sol nostri intellectus, à quo lumen eius deriuatur, cuius ope intelligimus omnia, quæ possunt intelligi. Tu es ratio & ordo rerum; tu es ille, qui secundum rectissimam voluntatis tuæ regulam, omnia in gradu, loco, & ordine constituisisti, prout tibi placuit. Tu creaturas quasdam plasmasti corporales, quasdam spirituales, nonnullas etiā de utroque participant. Quasdam fecisti corruptibiles, quasdam incorruptibiles; quasdam simplices, alias compositas; quasdam vt regāt, alias vt regantur; quasdam vt gignant, alias vt gignantur; quasdam vt sint altissimæ & nobilissimæ; alias vt viles sint & abiectæ; nonnullas vt mediæ sint inter vtrasque, prout tibi visum fuit perfectioni totius Vniuersi conuenire. Tu similiter omnibus loca sua decreuisti, iuxta conditionem & naturam vniuscuiusque: tu quedam in excelsis, quedam in profundis, quedam in celis, quedam in terris, quedam inter vtrumq; collocasti: ne locus in mudo vacuus inueniretur; sed omnia manuum tuarū operibus essent

repleta; & quæque res fortiretur locum suæ naturæ conuenientem. Hoc modo quasi res infinitas valde diuersas ad eundem finem ordinasti, & ex omnibus his concentum & harmoniam composuisti suauissimam, mundum tam pulchrum, Rempub. tam perfectam, vt nihil inueniatur, cum quo possit comparari. Si itaque sapientia res sit adeo pretiosa, & bonum tam ingens; tua autem, Domine mi, tam magna existat, sicut vniuersitas omnium operum tuorum testatur; cur te non colam & venerabor? cur te non ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus amabo? Cur mihi omnia, quæ creata sunt, non erunt gloriæ tuæ testimonia? quare non erunt mihi specula tuæ pulchritudinis? tuæ sapientie præconia? amoris tui incentiua, & voces quæ me ad amandum te excitent?

Da mihi, Domine, vt diligam te etiam, quia tu es bonitas essentialis & infinita: non enim bonus es qualitate, sed ipsa essentia: adeo vt tua natura sit ipsa bonitas, quæ manifestissimè ex tuis cognoscitur operibus: tantò enim res aliqua melior est, quantò magis est suipsius communicatiua; qualis est Sol inter creaturas corporales, qui lumen suum communicat tam liberaliter, & caloris sui radios per vniuersum mundum diffundit. Ceterum quid tam liberale & suipsius diffusiuum, vel in celo, vel in terra inuenitur, quàm tu es Domine mi? Quæ dari potest creatura tam exigua, quæ nō aliquid tui habet, imò nō est plena tuis diuitijs? nulla enim aliud habet patrimonium, aut aliud esse præter id, quod à te accepit: adeo vt tu sis thesaurus totius mundi, summum & maximè vniuersale bonum. Hinc fit, vt quem admodum omnes creaturæ naturaliter suam desiderant perfectionem, propriumque bonum suum? ita omnes desiderant, quàm proximè possunt, ad te accedere, & de te aliquid participare, qui illarum es perfectio, & bonum ipsum: adeo vt etiam materia prima, (quæ est omnium villissima, abiectissima, & ab omni essentia nudissima, rerum à te creatarum) cum tam inops sit omnis essentia, essentia tam aliunde expectet, & ad illam suspiret: saltem vt aliquid de te participet, & in aliqua re tibi similis efficiatur. Si creatura tam vilis & inops, quæ nec oculos habet ad te contemplandum, nec voluntatem ad te amandum, nec absolutam habet essentiam, vt aliquid esse & dici possit, (cum omnium rerum tam vacua sit & nuda) tui tamen non obliuiscatur, nec amoris tui naturali desiderio destituatur; ah quid non ego facere merito debeam, mi Deus, postquam dederis mihi oculos rationis, ad agnoscendum te, & cor ad amandum te; imò qui me onerasti omnibus omnium creaturarum, quæ in mundo sunt, donis & gratijs, quare & Microcosmum, hoc est, paruum mundum, Philosophi me nuncuparunt? Qui tantum accepit, & tantum debet, & tantum videt, & adiutus tua gratia te tantum amare potest, quomodo possibile est, quòd se in amoris tui studio à materia prima superari permittat? Concede igitur mihi, o Domine mi, vt te diligam, per infinitam bonitatem, quæ in te habitat, quæ est amoris causa fortissima, à qua omne bonum procedit. Quemadmodum enim propria Solis conditio est illuminare, & ignis calefacere; sic, & multò amplius summæ tuæ bonitatis proprietas est, omnibus benefacere, & temetipsum omnibus communicare. Quis igitur adeo sibi ipsi velit esse inimicus, vt nolit amare tam præclaram bonitatem, à qua tot bona in omnes deriuantur?

Omnes omnino propter mansuetudinem, quæ Bernardus post te Domine Iesu, audientes quòd non spermas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lachrymantem peccati-

Bernard.
Serm. 22.
in Cant.

catricem, non Cananzam supplicentem, non deprehenfam in adulterio, non sedentem in teloneo, non supplicentem publicanum, non negantem Discipulum, non persecutorem Discipulorum, non ipsos tuos crucifixores. Post te igitur in odorem vnguentorum tuorum currimus: nihil enim in hoc mundo reperitur suauius, nihil amabilius, nihil dulcius, O Domine, quam tu.

Cum tu itaque pelagus sis tam immensum, imò mundus tantarum perfectionum, & virtutum, quomodo te non ex toto corde, & totis viribus meis adomabo? Et si singula tuarum perfectiones, eo quod infinita sunt, amore dignæ sunt infinito; quo amore potero diligere illum, cuius perfectiones nec modum habent, nec numerum, sed immensæ sunt & infinitæ? Qua lingua te laudabo? quibus verbis tuam magnitudinem prædicabo? quibus visceribus bonitatem tuam amabo? Debitum video, sed & video debitoris paupertatem. Oro te, Domine, & obtestor, vt tu suppleas, quod mihi deest. Cum enim tu tanto dignus sis amore, & tam districte mihi præcipias, vt te diligam, da mihi cor nouum, quo te sic diligere possim, vt diligere vis, & præcipis: tibi enim soli debetur amor infinitus, perpetua laus, æterna gloria, summa potentia, regnum perpetuum, & imperium sine fine, per omnia secula seculorum. Amen.

TERTIA ORATIO,

DE IISDEM PERFECTIONIBUS diuinis.

CAPVT VI.

Sinter omnia, quæ prouocant ad amorem, efficacissimum sit pulchritudo; cur non merito amabo te, Domine mi, qui fons es omnis pulchritudinis & decoris? Tu es pulchritudo vniuersæ mundi machinæ: quidquid enim in illa pulchrum est, id tu creasti: pulchritudinem tuam mirantur Sol & Luna, in faciem tuam conspiciere desiderant Angeli, in cuius visione consistit vltima felicitas, & gloria omnium Spirituum supernorum. A te suam acceperunt pulchritudinem volucres, flores, fontes, campi flumina; maria, nemora, syluæ, arbores, terra, montes, valles, & alia quæcunque. Tu ornasti caelum stellis, aerem aubus, aquam piscibus, prata floribus, & terram infinita plantarum atque animalium varietate; in omni loco mundi tu pulcher es, quia vbique tuarum pulchritudinis conspiciuntur indicia. In celo tu es pulchritudo gloriæ, in inferno iustitiæ, in bonis gratiæ, in malis patientiæ.

Amare quoque te debeo, Domine mi, quia omnium rerum es perfectio. Tu laus es Angelorum, præmium Sanctorum, spes Patriarcharum, lumen Prophetarum, gaudium Apostolorum, corona Martyrum, gloria Confessorum, puritas Virginum, & salus omnium Electorum. Omnes beati spiritus laudant te: à facie tua columna celi contremiscunt: te honorant & reuerentur omnes mundi creature. Tu repleas omnia, & non dilataris: tu penetras omnia, & non moueris: tu in omnibus rebus es, & nulla concluderis. Tu creasti omnia absque necessitate, tu gubernas omnia sine labore, tu mutas omnia & non mutaris. Tu solus iudicas sine errore, tu castigas sine passione: tu dona distribuis, & nihil thesauro tuo decedit. Si enim mare tantam aquæ vini per terram diffundendo non diminuat, cum tamen infinitum non sit; quomodo thesauri tui minuentur, cum sint infiniti? Tu solus es tibi & omnibus rebus sufficientissimus. Qui te igitur habet, is habet omnia, & qui te non habet, etiam si omnia ha-

Granat. Opusc. spiritual.

beat reliqua, nihil habet, & pauper est, & nudus, & miser, & miserabilis.

Omnes istæ perfectiones, & laudes, cum infinitis alijs, in te, Domine mi, inueniuntur, quas nec intellectus potest assequi, nec lingua mortalis pronunciare: maxima enim laus, quam de te potest humilitas nostra prædicare, est, quod dicimus te incomprehensibilem esse, & cum silentio (vt quidam Philosophus ait) te coli & adorari debere: hanc supremam gloriam tuarum substantiarum damus, dicentes illam solam esse infinitam in essentia, in omnipotentia, in sapientia, in bonitate, in pulchritudine, & in omnibus reliquis: & quemadmodum illa infinita est in omnibus rebus, sic etiam nostro non potest intellectu comprehendi, multò etiam minùs lingua nostra mortali explicari.

Quare quemadmodum, si mare sine fundo inueniretur, & in illud descendens per millia mille, duo millia, & (si placeat) decies centena millia transierit, nunquam eo perueniret, vt non infinita restarent millia peragrande: sic etiam vbi intellectus humanus in consideratione tuarum excellentiarum fundum se inuenisse arbitratur, caput sese mox offert immensus adhuc transcendens. Tu enim es magnus ille Deus, de quo scriptum est: *Excelsor celo est, & quid facies: profundior inferno, & vnde cognoscet?* *Longior terra mensura eius, & latior mari.* Ecce, *Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius? aut quis potest ei dicere, Operatus es iniquitatem?* Memento quod ignores opus eius de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. Ecce *Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inestimabilis.* Ex quibus verbis manifeste colligitur, quod in omni re ineffabilis es, & incomprehensibilis.

Tu Domine maior es omni magnitudine, quam possumus fingere vel imaginari: tu sublimior omni altitudine, quam possumus animo concipere, vel contemplari: tu pretiosior & dignior omni pretio & dignitate, quam diligere, quam desiderare, quam frui possumus. Tuæ namque magnitudinis immensitas omnia superat: adeo vt tu (Dionysio teste) incomprehensibilis sis omni creaturæ. Nò enim sensus humanus, non imaginatio, non opinio, non ratio, aut alia quæcunque vis creata potest te comprehendere. Cumq; immensitas tua superet omnem sensum nostrum & intellectum, hæc erit, Domine mi, optima nostra confessio, & maxima tua laus, si dixerimus te incomprehensibilem.

Id ipsum & Philosophi confessi sunt, quorum vnus illud testatur his verbis. Si verba (inquit) Platonis diligenter examines, inuenies Deum esse substantiam tam nobilem & sublimem, vt omnem eloquentiam, omnem cogitationem transcendat. Et si quid dixeris de illo, aliquid eius, nò eum dices. Poteris dicere quod causa est omnium rerum: sed quid sit, & quomodo sit, nullus potest intellectus comprehendere. Intellectus enim noster mox recidit ad res humanas: & quidquid intelligimus, hoc nostro modo intelligimus, existimantes omnia esse sicuti nos sumus, & eo se modo habere: quicquid enim nò est, vt nos sumus, id nequaquam possumus intelligere, nec cõiecturis assequi. Sit igitur hæc prima primi principij veritas, & prima confessio: agnoscere scilicet Deum esse incomprehensibilem. Deinde cum illum adoraueris, eum ineffabilem & incomprehensibilem appellans, secundus honor, quem offeres illi, erit confiteri, quod commune est omnium rerum desiderium: tertius autem erit, quod principium est & causa earundem.

Quod si Philosophus sine fidei lumine hæc dice-

Ccc

re, &c

re, & intelligere potuit, quid non ratio postulat, o Domine ut dicat is, qui per testimonium verborum tuorum manifestissimam habet tui cognitionem? Si tu desiderium sis omnium rerum, (omnia enim inveniunt in te, quod appetunt; quodque ipsis est necessarium, cum tu sis omni finis vniuersalis) quomodo ego solus ero inter omnia, qui te non desideret? O vniuersale mundi bonum, O vltime finis; ad quem creata est anima mea, patieris hoc, ut tale in mundo reperiatur monstrum, ut omnibus te desiderantibus & amantibus, ego solus te non desiderem & amem? O Deus meus, Creator omnium, cur te omni amore non diligam? Tu es Deus meus verus, Pater meus sanctus, Dominus meus pius, Imperator meus magnus, amator meus pulcher, panis meus viuus, sacerdos meus aternus, sacrificium meum immaculatum, lumen meum verum, dulcedo mea sancta, sapientia mea infallibilis, simplicitas mea pura, hereditas mea opulenta, misericordia mea magna, redemptio mea integra, spes mea secunda, charitas mea perfecta, vita mea aeterna, gaudium meum, & beatitudo infinita.

Si tu igitur, Domine, sis mihi haec omnia, qui poteris te non ex totis visceribus meis, totoque corde diligere? O gaudium & requies mea, O voluptas & delectatio mea; oro te Creator mi, ut dilates cor meum in amore tui, ut omnes vires meae & sensus cognoscant & experiantur, quam dulce sit liquefieri; natum, & submergi in amoris tui fluctibus. Dicit Propheta, se vidisse, quod fluuius igneus rapidusque egrediebatur a facie Dei. O Domine mi, fac, ut in illo fluuiio natum: mitte me in ipsius decursum, ut secum me rapiat, ne posthac in mundo conspiciar, sed totus consumptus in hunc amoris fluuium transformor. Haec mea sit petitio, hoc continuum meum studium, hoc luce opus sit, ea somnia nocte: nihil oculis meis videam, quod non sit mihi stimulus & incentiuum amoris. Da mihi, ut haec cogitatio semper in me maneat, hoc vltimum verbum sit, cum quo vitam meam finiam: quandoquidem sunt beati qui in te moriuntur, & ille moritur in te, qui dum viuunt, amat te.

PRIMA MEDITATIO

IN ORATIONEM DOMINICAM.

CAPVT VII.

Cicero.

Domine Deus meus, Sapiens quidam mundi huius dixit, eloquentiam quae non rapit animos auditorum in admirationem, eloquentia nomine indignam esse: Quibus verbis indicare voluit, ad facultatem, & ingenium hominis mortalis pertinere, ut orationes, rationesque suas ea cum dexterioritate & artificio proferat & ornet, ut admirationem quandam in animis auditorum pariant. Quod si hominis ingenium ad hanc perfectionem potest peruenire, qualis (mi Domine) operum tuorum perfectio erit? Extra controuersiam enim est, quod sicut una causa differt ab alia: sic vnus effectus etiam ab alio differt, & opus ab opere. Si igitur tua potentia, tua bonitas, & tua sapientia tam longe superent omnem potentiam & sapientiam humanam; quanto erunt obsecro maiora; potiora, & magis admiranda tua opera operibus humanis?

Ex hoc intelligo, Domine, hanc tibi naturaliter inesse conditionem, ut facias opera, quae nulla humana eloquentia proferre, nec vllus capere potest intellectus, & quibus omnis laus est inferior. Oportet enim opera tua tibi assimilari: quemadmodum igitur tu es infinite sapiens, potens, & bonus, & per consequens incomprehensibilis; sic etiam &

opera tua (maxime quae sunt bonitatis & misericordiae, quae apud te sunt reliquis preciosiora) necesse est ut talia sint in suo gradu, ut omnes intellectus, qui ea attente considerabunt, stent attoniti, & a mentis statu dimoueantur. Si enim illud acciderit Reginae Sabae, videntur opera Salomonis, qui homo mortaliter erat, sicut vnusquisque nostrum: quanto maiorem stuporem & admirationem parient opera illius infinitae sapientiae & bonitatis, quae regnat in aeternum?

Horum operum primum est & principale mysterium vniuersi Filij tui Incarnationis, sacratissima deinde Passio, & sacrosanctissimi Eucharistiae Sacramenti, quod ad sui memoriam in hoc mundo nobis miseris reliquit, institutio. Ad horum quoque numerum pertinet, quod tu Deus, & immensa Maiestatis Dominus, nos in filios adoptare, & Pater noster dici, & esse voluisti. Hoc enim nomine Filius tuus iubet nos te appellare, & nobis filiorum nomen per omnem Scripturam Euangelij sui tribuit. Dicit Matth. 6.

enim: *Sci Pater vester quia his omnibus indigetis. Et paulo ante; Respiciite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester caelestis pascit illa.* Et alibi; *Non est vobis* Matth. 23.

lunt as ante Patrem vestrum, ut pereat vnus de pusillis illis. Alio loco iubet, discipulis suis dicatur; *Ascendite ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* Propter quam causam, ait Apostolus, Saluator noster non confunditur fratres suos appellare, dicens; *Nuncabo nomen tuum fratribus meis.* In-

signem hanc & illustrem nominis dignitatem vniuersi Filius tuus mysterio incarnationis & passionis tuae nobis acquisiuit, dicente eodem Apostolo; *Obvenerit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* Galat. 4.

factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij; *misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Non

dedit igitur nudum nomen, sed etiam spiritum & cor filiorum; infundens in animas nostras eundem spiritum, qui modo excellentissimo habitauit in tua, ut habitante illo etiam in animabus nostris, participes efficeremur eiusdem dignitatis, & gloriofissimi.

Confirmat idem S. Ioannes, dicens; *Quia quos receperunt Christum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui scilicet accepta hac dignitate, non iam amplius viuunt secundum* Ioan. 1.

desideria & appetitus carnis & sanguinis: sed in puritate & sanctitate, sicut decet Dei filios.

Ne autem exultimarem hanc dignitatem Patris esse tantum dignitatem nominis, & non rei; vel amoris adiunxit idem Filius tuus, & ait; *Pater nolite vobis vocare super terram: vnus est enim Pater vester qui in caelis est.* significans in comparatione amoris & providentiae paternae, quam tu habes erga homines, omnes alios amores, & providentias nullius esse inomenti: cum manifestissimum sit, nullum vnquam patrem filijs suis tanta bona preparasse, aut tantum pro illis acquirendis laborasse, quantum tu: tu enim praedestinasti nos ad tuam gloriam, & Filium tuum in mortem tradidisti, ut gloriam illam nobis redimeres. Merito igitur David dixit; *Pater meus* Psal. 26.

& mater mea dereliquerunt me. Dominus autem assumpsit me. Et Propheta Elaias; *Tu Domine Pater noster* Elai. 63. 16.

es, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Sed & tu ipse Domine per os eiusdem Propheta dixisti; *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, Elai. 49.*

ut non misereatur filio vteri sui? & si illa obliuiscuerit, ego tamen non obliuiscar tuum. Ecce in manibus meis descripsi te: mur tui coram oculis meis semper.

Secundum magnam igitur hanc & ineffabilem misericordiam, O Domine, Filius etiam tuus suggerit

gerit nobis fiduciam, & dat licentiam, imò præcipit nobis, vt orantes te dicamus; *Pater noster* quæ in cælis. O regale verbum, O verbum dulce, verbum deuotionis & consolationis inestimabile. Quis vnquam, O Domine mi, ausus fuisset te hoc nomine compellere, nisi vnigenitus Filius tuus hanc nobis licentiam tribuisset? Quis es tu Deus meus, & quis sum ego, cur te Patrem appellare debeam? Tu es, qui es? & ego sum, qui non sum: imò mundus hic vniversus tam ingens, quem tu creasti, in conspectu tuo nihil est. Quid magis igitur admirandum, & quæ maior esse potest misericordia, quam quòd tu Deus infinitæ Maiestatis, Rex Regū, Dominus Dominantium, Sanctus Sanctorum, Deus Deorum, Angelorum gloria, & Beatorum gaudium, meus Pater esse voluisti, & me in filium adoptare, qui nihil sum quam immundum sterquilinum, miser vermiculus, & peruersa creatura? O admirabilem pietatem, O longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem charitatis & bonitatis Dei.

Pater noster. O verbum consolationis, verbum amoris, verbum fiducie. Quid tibi retribuemus, Domine, pro hac gratia? quibus verbis hanc misericordiam exaltabimus? cuius intellectus non obstupescet, considerans talem & tantam liberalitatem?

Pater noster. Ecquod mel inuenitur tam dulce, lactam suauē, balsamum tam odoriferum, quam verbum hoc? Igitur audebo te Patrem nuncupare, Creator mi? O inestimabile gaudium, O dulcedo ineffabilis. Quid amplius facere poteris Domine? Quid amplius optare, quid pretiosius desiderare poteram, quam te Deum meum habere Patrem? O quam bene magnitudinem huius gratiæ intelligebat Euangelista, cum dixit; *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater, vt Filij Dei nominemur & simus.* hoc est, Non fuit ei satis nobis dedisse nomen & titulum filij, sed dedit etiam nos esse veros filios, & filiorum donauit nobis prerogatiuam, atque dignitatē: vt essemus certi, quòd ille Pater noster est; cum nō inueniatur pater sine filio, nec filius sine patre; ita quod Pater nos accepit pro filiis, & Filius pro fratribus, & Spiritus sanctus pro tēplis vitis & suis sacrijs. Quæ gloria maior, quæ dignitas esse potest præstantior? Dixit quidam Philosophus, lucrum esse omnium rerum in hoc mundo dulcissimum: omnes enim labores hominum eius amore leues fieri solent, & dulces. Quod si autem maximum quod excogitari potest lucrum sit, Deum habere Patrem, idque non tantum nomine, sed effectu etiam & re; quid potest in mūdo esse dulcius, quid suauius, quid delectabilius? Vox hæc *Pater* vulnerat cor, commouet interiora viscera, confortat spiritum, exhilarat animam, elicit lachrymarum fontes.

Pater noster. O verbum compendiosum, o verbum abbreviatum, quod fecit Dominus super terram. Dicebat Apostolus, se nihil scire præter Christum, & hunc crucifixum: & merito, in eo namque mysterio comprehenduntur omnia, quæ sciri possunt. Et ego, Domine, aliud scire non desidero, præter hanc scientiam: nihil aliud cupio, quam hoc gratum verbum.

Pater noster. Hoc volo legere, in hoc studere, in hoc die ac nocte meditari: hoc enim mihi sufficit. Si homo dicatur mundus minor, quia in eo per compendium inuenitur, quidquid per latissimam hanc mundi machinam diffusum videtur: sic etiam hoc verbum sapientia dici poterit compendiosa: in eo namque clauditur, quicquid tota Scriptura docet, in duas enim partes ea commode diuidi potest, in promissiones scilicet, & petitiones: vna enim in eo occupatur, vt petat ab homine reddi Deo, quod Deo

Granat. Opusc. spiritual.

debetur: & altera, vt promittat homini morigero & obedienti gratiam & fauorem. Vna igitur pars docet illud, quod facere debemus: altera illud, quod debemus sperare. Sed quæ promissio reperitur, quæ non comprehendatur sub nomine Patris? & quæ obligationes inueniuntur, quæ non intelligantur sub verbo hoc Filij? Quæ igitur bona, quam gratiam, quam curam & providentiam non sperabo ab illo, qui verè Pater vocatur?

Si enim Pater meus sit, omnino & naturæ, & rationi conueniens est, vt me amet, necessaria mihi largiatur, me dirigat, me iuuet, me defendat, mihi consulat, me doceat, me honoret, me faciat heredem; & me, cum opus erit, vt Pater castiget: quis enim filius, quem pater non castigat? Viue igitur sub tutea & providentia talis Patris, conditio est suavis, seruitus libera, custodia perfectæ, timor levis, castigatio mollis, paupertas opulenta, possessio securæ. Patris enim est omnes sollicitudines, curas, & labores in se recipere; & nihilominus fructum eorum cum filio diuidere.

Præterea si Pater hic sit Deus omnipotens, & omnium rerum creatarum Dominus: quid mihi deesse poterit, cum talem Patrem habeam? scio enim quia filij partem habent in omnibus rebus patris. Quæ tribulatio, quæ tempestas me turbare poterit, si Deum Patrem habeam? Si inimici mei me persequantur, ille me defendet; si bonis me temporalibus exuerint, ille mihi necessaria procurabit; si in aliquo dubio verſer, ille me docebit: si ambulauero in tenebris, & in vmbra mortis, ille mihi dux erit: si contra me falsum testimonium dicatur, ille pro me respondebit: si insurgant aduersum me castra, non timebo, quia tu Domine mecum es. Quæ itaque gloria maior, quis honor excellentior, quæ misericordia liberalior hac esse potest? Prima dignitas, quæ in rerum natura inuenitur, est esse filium Dei per naturam: secunda, esse filium Dei per gratiam. Et quia impossibile erat plures, quam vnum, esse filios Dei per naturam, tu Domine mi nos secundo loco constituiſti, faciens nos filios tuos per gratiam; quæ dignitate maior inueniri non potest.

Videmus igitur omnes promissiones tuas simul iunctas sub hoc verbo comprehendere, imò plura significari, quam omnibus alijs simul: siquidē multo maius est quod tu, Domine, Pater noster esse dignaris, quam omnia reliqua, quæ absque hoc dare nobis posses. Cum enim tu sis Pater noster, & nos tui filij, hæredes sumus bonorum tuorum, omniumque diuitiarum tuarum cum Vnigenito & naturali tuo filio participes.

Docet me etiam hoc verbum, non solum quid sperandum, sed etiam quid mihi faciendum est: quæ admodum enim tu meus es Pater, sic ego vicissim tuus sum filius: non tantum nomine, sed & re: ex quo sequitur, etiam me obligatum esse ad opera boni filij faciendæ, quemadmodum & tu facis officium boni Patris. Quod si ita sit, debeo te profectò vt Patrem amare, vt Patrem colere, vt Patrem honorare, vt Patri obedire, & in re, tanquam in fidelissimo Patre, omnem spem & fiduciam meam collocare: ad te tanquam ad benignissimum Patrem, in omni mea tribulatione recurrere; honorem tuum zelare, & eum vt chari Patris debeo, vbicunque & quandoque; potero, promouere: tibi puro amore, purissimæque intentione, vt filius Patri seruire: me totum in manus tuas, tanquā in manus Patris commendare; omnes castigationes & correctiones tuas tanquam à charissimo Patre immillas patienter, & cum gaudio sustinere: denique omnes meas cogitationes & curas in te, tanquam in verum Patrem, conijcere. Omnia hæc nomen filij merito à me postulat, & ego tibi

QCC 2

tanquam

tanquam vero Patri; ad omnia hæc deuinctus sum. Et quia in his comprehenditur summa omnium, quæ mihi præcipis in vniuersis tuis Scripturis: sequitur me in hoc verbo totam habere doctrinam tuam abbreviatam; & toto vitæ meæ tempore mihi in ipso studendum esse.

Ceterum manifestiora hæc erunt, si secundum verbum primum iungamus, dicentes; *Pater noster*: nõ enim voluit vnigenitus Filius tuus, vt diceremus: *Pater mi*, neque in tota oratione hac *meum aut tuum* inuenitur: sed *nostrum*: voluit enim omnibus dignitatis huius gloriam esse communem, vt omnes essetis per gratiam, quod ille est per naturam. Cum itaque dicimus, *Pater noster*, disertis verbis fate-mur, omnes nos esse fratres, tanquam vnus eiusdẽque Patris filios: debemus igitur singulos vt fratres, & te vt vniuersalem omnium Patrem amare. In his igitur duobus verbis mentio fit amoris Dei & proximi, in quibus duobus mandatis Lex & Prophetæ consistunt. Quæ igitur doctrina poterat esse sublimior, & quæ compendiosior, quæ duobus verbis apertissime docet, quidquid ad salutem nostram scire opus est?

Præterea non tantum me docent hæc verba, quæ me scire oportet, & quod facere debeo, & sperare; sed etiam iterunt mihi viam ad penitentiam, & aperiunt mihi portas spei, quando illas mihi mea peccata occluserunt. Non enim ob hoc animum despondebo, nec fiduciam & spem abiciam: sed potius exemplum filij illius prodigi imitabor; reuertar ad te Patrem meum cum verbis & pudore, quo cum ille reuersus est, & dicam; *Pater mi, peccauit in te, & in calum ipsum*.

Filius ille postquam portionem substantiæ, quæ illum contingebat, accepisset, recessit abs te, & peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose: omnes enim diuitiæ, quæ sine prouidentia celestis Patris possidentur, male pereunt; ita vt diuitiæ sine te filium spoliauerint, eum ex gremio Patris sui raptuerint, ex adibus suis eiecerint, exulare fecerint, famam eius bonam maculauerint, castitatis eius florẽ decerpserint, & subulcum effecerint: vt propria miseria doceret eum, & agnoscere faceret, quam imprudenter fecerat, qui à tali Patre discesserat; & per malum, quod patiebatur, cognosceret bonum, quod amiserat: adeo vt hic miser in se reuersus postea dixerit, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundante panibus: ego autem hic fame pereo*. Vt rediret ad Patrem suum, prius reuersus est in se: quia longius à se recessit, cum patrem suum deseruit. Et sanè longissime à se recessit, postquam & filij, & hominis dignitate amissa, comparatus est iumentis insipientibus, similis factus est illis, & siliquis, quas porci manducabant, ventrem suum implebat. Adeo vt miser ille in se reuersus, statuerit, ad te Patrem suum redire. Sed quo vultu, qua fiducia, qua spe ad te reuersus est? Non alia profecto, quam quod sciebat te Patrem nostrum esse: licet enim ille filij dignitatem amiserat, tu tamen pietatem & beneuolentiam Patris nõ abieceras. Pater igitur mox, vt filium vidit ad se reuersum, eius peccatum textit, personam iudicis dissimulauit, vt officium Patris faceret, iram in misericordiam commutauit, & ostendit se male filij conuersionem, quam eius interitum. Accurrens igitur cecidit super collum eius, osculum pacis præbuit, & statim stola prima illum indui mandauit. Non interrogauit: Vnde venis? vbi latuisti? quid de substantia actum est, quam tecum abstulisti? cur tantum honorem, tam turpi ignominia commutasti? nihil horum interrogauit; neque enim amoris vehementia videt in amato defectus. Nescit Pater quid sit mi-

sericordia tarda, confestim iubet annulum dari in manum eius, non enim contentus primam innocentiam illi reddidisse, hoc etiã honoris simbolo vult eum nobilitate. Mandat & calcamenta dari in pedes eius, vt denuo in via iustitiæ ambulet, quam deseruerat: & vt liqueret, ad quam extremam paupertatem venerat, postquam à Patre suo discesserat, cũ etiam sine calceis redierit. Mandauit etiam occidi vitulum saginatum: & cur non alium vitulum, quã saginatum? redditus filij festiuitatem solennem facere vult, & hoc indicio magnitudinem amoris sui erga eum demonstrare.

Hoc exemplo motus ego, Domine, & tanta charitatis significatione inuitatus, post tot circuitiones & vagos errores meos, cum omni humilitate & pudore, quãtum mihi possibile est, ad te Deum meum reuertor, dicens cum hoc filio prodigo; *Pater peccauit in calum & cor ante te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis*. Hæc verba dicam, Domine, & si eodem, quo ille, affectu ea dixerò, spero antequam orationem meam absoluerò, occurrere mihi, cades super collum meum, & osculaberis me osculo pacis: hæc enim de visceribus paternis spes est, quod omni studio hoc aget, quo filium perditum ad se reuocet, & si opus sit, etiam trahat.

Optimè dictum est à quodã Doctore, quod quæ admodum quando auis pullum suum nido excidisse, & periclitari videt, non quiescit, nisi prius ad nidum reduxerit: sed & si forte viderit bestiam accedere, vt detoret eum, aduoluat confestim, strepitum facit, circumuolans vociferatur, & facit quod facere potest, vt liberet illum. Sic Pater æternus sollicitus est de salute nostra: medetur nostris infirmitatibus, & persequitur feras bestias, (hoc est, cacadæmones) reducit filios suos ad nidum, iniuriarum oblitiscitur, nec quiescit, priusquam ad penitentiam reuertantur. Et præter hæc omnia non cessat vnquam eos admonere, tanquam verus Pater, nec desinit ijs consilire, & in viam salutis dirigere. Quemadmodum enim si quis lucem diei videre cupiat, non accendit lucernam, vt quærat eam: ipse enim dies quærenti se offert, & in oculis eius influit: sic quicumque vult oculos ad calum leuare, & Patrem intueri, ni-quam serena hæc lux ei deerit, quæ se communicat omnibus.

SECUNDA MEDITATIO,

CAPVT VIII.

In qua sequitur Orationis Dominice explicatio.
Qui es in calis.

Post primum verbum, quod est, *Pater noster*, sequitur secundum non minus dulce, nec minus copiosum, nec minus breue, quam præcedens. Si enim tu, Domine, qui Deus meus, Pater meus, hereditas mea es, in calis sis. quid mihi cum terra, cum totum meum thesaurum habeam in calis? Et si tu Pater meus sis in calis, ego sanè hospes & peregrinus sum in mundo: nec in terris habeo ciuitatē manentem, & stabilem: sed obambulo quasi exul quærens veram patriam meam. Et quia peregrinus, qui ad patriam iter facit, solo corpore in eo versatur, omnes autem curas & sollicitudines suas habet in patria, vbi domicilium & habitatio eius est: sic ego, Domine, qui peregrinus sum, quamdiu disungor à te, quo cor meum & omnes cogitationes, curasque meas dirigam, nisi ad te?

Verbum hoc etiam spem meam corroborat, & securiorem reddit meam portionem. Et enim si tu Pater meus in calis sis, ius in eodẽ celos habeo; pedem iam alterum in isto diuersorio posui, cum tu isti eo habites,

Luc. 13.

Ibid.

habites, & ipse illic sis paterfamilias. Vbi habitabunt filij, nisi vbi Pater eorum habitat? vbi erunt membra, nisi vbi caput est? vbi congregabuntur aequilæ, nisi vbi corpus inuenitur? Pater nunquam excludere eum domo sua, cui titulum filij & hæredis largitus est.

Præterea verbum hoc magnificat animam meam, & super omnia quæ in mundo sunt exultat. Quam namque maior animi satietas, quam optari posset gloria magnificentior, quam habitare in terra, & Patrem habere in cælo, eoquæ mediante eiusdem cæli Regem constitui? O vos qui honores & gloriam concupiscitis, quid illam queritis in fumo, quem ventus à facie terræ dispergit? Cur contemnitis gloriam & honorem tam grandem, vt est filios Regis cælestis esse? Si autem hoc non creditis, quomodo estis Christiani? sin verò creditis, quomodo fieri potest, vt honores vanos queratis cum tanta difficultate, qui tam subito euanescent? An non sit melius acceptare verum hunc honorem, qui gratis, & sine vlllo pretio vobis offertur?

Psal. 91.

Letamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde; quia pretiosissimum pignus vobis in cælo repositum est, & Deum Patrem habetis. Assumam igitur, o Domine mi, pennas aquilæ, rerum vilitatem, atque ad te in altum volabo: qui namque potero magni facere quæ sunt in terris, cum heredem cælorum me constitutum videam? quomodo potero faciem meam conuèrtere ad brutas & immundas huius mundi voluptates, aut diuitias terrenas & momentaneas, qui beneficio Patris mei cælestium regnorum possessor factus sum? Id mihi turpius ac magis ignominiosum esset, quam si Regis alicuius filius equitibus purgaret, aut strigillando victum sibi quæreretur. Quod si primogenitus Regis, et si possessionem regni nondum acceperit, propter ius tamen quod in regnum paternum habet, tanto in honore & pretio habeatur: ego qui simile ius ex adoptione & verbo Dei viui habeo, non ad regnum transitorium, aut mundanum, sed ad regnum æternum & cæleste; cur me diuitem & felicem non dicam, cui talis spes & expectatio data est.

Sanctificetur nomen tuum.

O quam pulchro ordine sequitur hæc petitio? *Sanctificetur nomen tuum.* Etenim si iam in filium tuum adoptatus sum, quid magis mei est officij, quam vt sancti nominis tui gloriam, victoriæ regni tui, & obseruantiam tuæ voluntatis, vbique & semper promoueam? Quid enim hæc petitio aliud sibi vult, quam vt accepta iam noua filij dignitate, ad possessionem proceda, & quæ filio conueniunt, ea cum ratione & honestate perficiam? Quemadmodum enim homo, vbi in Regem, Prælatum, aut alium magistratum electus est, confestim dignitatis illius possessionem accipit, atque incipit ea cogitare, quæ ad officium suum videntur pertinere: sic ego, Domine, postquam gratia tua nouam hanc dignitatem accepi, statim ad possessionem aspirare incipio, & ad executionem eiusdem, faciens, & cupiens id, quod tati patris filium decet: hoc est, desiderare, & procurare nominis tui sanctificationem, gloriæque regni tui propagationem, vt sic illud manifestum fiat vniuerso mundo, ab omnibus adoretur & glorificetur: cum homo facies hoc suis proprijs rebus studeat, & certò sciat quòd gloria patris gloria quoque est filij, vt inquit Sapiens.

Prou. 17.

Et si natura & proprietates boni filij sit, amare patrem, & amor transformet amantem in rem amantem, (adeo vt oblitus sui ipsius, omne studium in eo ponat, vt procuret ac desideret illud quod amatus

Granat. Opuscul. spiritualis

appetit, non minus pro eo, quàm pro semetipso) quid ego Domine, cum per amorem in te totus sum transformatus, aliud velle aut desiderare debeam, quam quod tu ipse vis, & desideras? Cumque non sit, quod tu magis desideras, quam sancti nominis tui gloriam, (non enim est quidquam maiori desiderio dignum) quid aliud agere debeo, quam vt vbique & semper hæc gloriam desiderem & promoueam?

Scio, Domine, quia bonorum meorum non egesset: nam et si mortalium lingua taceret, omnes creaturæ vociferantur, & prædicant gloriam tuam, seseque mutuo ad laudem tuam exhortantur, vt dicit in Psalmis suis Dauid. Si enim spiritus Angelicos intueamur, semper illi tuam gloriam celebrant, & laudes tuas decantant. Si vertamus nos ad mirabilem illam cælorum compositionem, & serenis oculis consideremus eorum mirabilia, concordiam pugnantium inter se elementorum, fluxum & refluxum maris, fontium scaturigines, perpetuos fluminum decursus, tantam arborum varietatem, tantam herbarum diuersitatem, tot animalium species, & tot aliarum rerum miracula, quæ modum & numerum non habent, singula secundum propriam virtutem naturalem, prout tibi dare placuit: omnia hæc, quæ perpetuo ante nostros versantur oculos, quid aliud dicunt, & prædicant, quam gloriam & magnificentiam tui nominis? Omnia hæc quasi viua voce clamant, te solum vitium Deum, te solum omnipotentem, sapientem, bonum, & misericordem; solum iustum, verum, admirabilem, & solum dignum, qui sine intermissione lauderis.

Psal. 18.

Inter omnes verò has creaturas homo maxime obligatus est ad sanctificandum, & celebrandum nomen sanctum tuum. Cum enim ipse solus in se acceperit omnes aptitudines, & perfectiones omnium aliarum creaturarum, (quare & microcosmus, seu minor mundus appellatur) & earum singulæ nomē tuum sanctificare pro parte sua, quam acceperunt, teneantur; quanta erit obligatio illius, qui omnia simul accepit, & in cuius vsum atque gratiam creata sunt omnia, quæ in hoc visibili mundo conspiciuntur?

Ex toto igitur corde mi Domine, opto & desidero, vt nomen tuum in vniuerso mundo sanctificetur; adeo vt omnes linguæ, & nationes, & sexus, & ætates, & personarum qualitates, in omni loco conueniant ad laudandum & glorificandum sanctum nomen tuum. O Domine mi, non peto à te diuitias terrenas, non honores mundi, non delectationes carnis, sed tantum oro, vt nomen tuum sanctificetur, & glorificetur per vniuersum terrarum orbem. Sit hæc prima & maxima petitio mea, hæc mea principalis sit cogitatio, hic æstus & impetus meorum desideriorum. Amor enim qui tibi debetur, oportet vt omnium amorum sit fortissimus. Et si gloriam & honorem hunc petam post præsens seculum, da mihi Domine, vt non ad meum tantum commodum petam, sed ad tuam gloriam, beatosque iudicem omnes regni tui habitatores & incolas, quia ipsi te laudabunt, te glorificabunt, tibi benedicent per omnia secula seculorum.

Adueniat regnum tuum.

Vides, Domine, multos Reges, aut potius Tyrannos nobis dominari: Diabolum cum sua superbia, mundum cum sua pompa, carnem cum suis delicijs & blanditijs, & propriam voluntatem cum suis appetitibus. Omnes hi crudelissimi Tyranni tyrannidem exercuerunt, & regno tuo vim inferre, atque iurisdictionem tuam accidere moliti sunt, sollicitantes nos semper, vt sua voluntas fiat, & secundum leges suas, tuis spretis, viuamus.

Ccc 3

Quare;

Quare, O celestis Rex, corrige hanc ataxiam corruptam, hunc ordinem inverte, & noli amplius permittere, ut crudelis hæc tyrannis in tuo regno dominetur. Eijciantur isti Tyranni, dissipentur inimici tui, & à præsentia tua fugiant omnes, qui te oderunt. Impera tu, Domine mi, tu solus rege, tui sceptrum & regnum tuum à nobis tantum agnoscatur. Voluntas tua sit nostra lex, & verbum tuum lumen nostrum, præcepta tua sint nostra gaudia; quod tui sumus sint nostræ diuitiæ, & pro nomine atque amore tuo pati nostra sit gloria.

Rege nos, Domine, tua providentia, defende nos tua dextera, duc nos tuo spiritu, doce & instrue nos tuo verbo, moderare nos tuis legibus, locupleta nos tuis donis, & castiga nos manu tua misericordie. Fac ne mundus, caro, Diabolus, propria voluntas a modo locum in nobis habeant. Longè fac Principem mundi huius à nobis: tu solus in me dominare, tu solus mihi impera, tu solus habita in anima mea, & regnum tuum totum cor meum occupet. Tu solus esto lumen intellectus mei, ut refectio voluntatis meæ; te solum quærat, te solum petat, te solum desideret anima mea: cur omnia percurro; cur diuerfis rebus distrahor, cū solum regnum tuum mihi sufficiat? Da igitur mihi hanc gratiam, Domine mi, ne in posterum de alio cogitem, aliud nihil desiderem, aliud nihil quæram, præter regnum tuum: in eo sit mea occupatio, in eo sit omnis mea conversatio. Tu solus bonus es, tu solus pulcher, tu solus amabilis, tu solus animarum nostrarum amator es: ideoque tu Domine solus regna, tu solus dominare, tu solus gubernare me, & in voluntate tua dirige. Pectus meum in te solo recreetur, cor meum in te solo quiescat: fac, ut ad te curram, ultimum finem meum, centrum & regnum meum, in quo animæ puræ & sanctæ quiescunt.

Adueniat etiam regnum tuum, quod finis est omnis spei nostræ, & communis desideriorum nostrorum portus, ubi videbimus te Regem & Patrem nostrum, ac tua pulchritudine, & præsentia tua, sine termino fruamur. Quod enim proprium magis & naturale desiderium filiorum esse potest, quam velle videre Patrem suum in regno suo? O Deus meus, quando veniet hora illa? quando dies illa veniet? quando lucem tuam videbo? quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quando videbo aurea illa palatia, portos illos æternis floribus confitos? fontes illos vitæ? portas illas & muros ex gemmis & lapidibus pretiosis extructos? choros illos Angelorum, & virginum, qui sequuntur immaculatum agnum quocunque iuerit? cantores illos & cantatrices, qui perpetuis carminibus & hymnis celebrant, & laudant summum Regem, atque communem omnium Patrem? O Ierusalem mater nostra, quando telustrabo? quando erit illa dies, in qua clamabo ad portas tuas? quando videbo muros tuos ex iaspide elaboratos? quando audiam voces cantantium & laudantium in te resonantes? *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Hoc naturale filiorum est desiderium, & proprietates aquæ illius salientis in vitam æternam, elevantis corda hominum è terris ad cælum. Hæc rare aqua illa, quæ efficiebat, ut S. Ignatius, cum duceretur ad martyrium, diceret, Meus amor crucifixus est. Non est in me ignis quippiam amans, sed aqua viva, saliens in me, intus mihi dicit: Veni ad Patrem. Hic est ille communis Pater, quem desideramus, & ad quem suspiramus in hoc exilio clamantes, & dicentes; Domine adveniat regnum tuum.

Psal. 83.

Psal. 41.

Ignarius in
Epist. ad
Romanos.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo &
in terra.

Hæc est voluntas tua, inquit Cyprianus, quam Christus, vni-genitus tuus filius, & fecit & docuit: Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere in illo quod Deus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quidquam præposuit; charitati eius inseparabiliter adherere, cruci eius fortiter ac denter assistere: quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam qua confitemur; in questione fiduciam, qua congregimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc est & heredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere. Hæcenus Cyprianus.

Hoc igitur, O Domine, peto, hoc desidero, aliud non quæro, quàm ut in me, & per me tua voluntas fiat; & ut tuus sim totus, & me totum tuo impendam obsequio. Non cupio ut posthac aliquid fiat secundum arbitrium vel appetitum meum, neque quæ mea sunt volo quærere; nolo quicquam agere quod suadet affectus erga cognatos & amicos: non verborum quid mundus dicat, non quid caro & sanguis hortentur: non respiciam quid amarum sit, quid dulce, quid honorabile, quid ignominiosum, quid facile, quid difficile: sed omnis mea in posterum sit intentio, sanctam tuam facere voluntatem. Illud me tantum lætificet, illud solum suave mihi sit, in eo sit mihi omnis animæ consolatio: atque nihil aliud unquam cupiam, nec alium mihi scopum proponam, quam tuam facere voluntatem. Illud omne solum me facere posse vellem, quod tuæ convenit maiestati.

Verè, Domine, si etiam in minutissimas partes dissectus essem, pro amore tui, id mihi iucundius esse deberet, quam si cunctis mundi fruerer voluptatibus nisi forte voluptates illæ in maiorem tui nominis gloriam redundarent: tunc enim non desiderarem voluptates propter voluptates, sed propter tuum solummodo obsequium: non enim rationem habere debeo meæ, sed tuæ voluntatis. Quid mihi dulcius, quid amabilius esse potest, quam ut totus in tuo amore liquefam? O quanta mihi esset delectatio, si pro amore & honore tuo possem aliquid durum & asperum tolerare? Hoc est gaudium Angelorum, desiderium Sanctorum, exultatio iustorum; tibi scilicet perfecte servire, cum tua sancta voluntate in omnibus conformari, & ad tuum semper honorem respicere. Scio enim, Domine, Angelos & Sanctorum animas magis ob magnificentiam honoris tui, quam ob propriæ gloriæ magnitudinem exultare.

Quemadmodum igitur voluntas tua observatur ac perfecte fit in cælo, sic etiam impleatur ac fiat in terra: ita ut omnes eam cum maximo cordis fervore sequamur, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, per aduersa & prospera, omnibus alijs voluntatibus renunciantes, quæ cum tua non conveniunt: quia tu solus es noster Deus, tu solus noster Pater, tu solus Rex Regum, & Dominus Dominantium: ideoque tibi summa debetur obedientia, perfecta reuerentia, & perpetua gloria cum laude sempiterna.

Amen.

MEDI-

MEDITATIO TERTIA

IN ORATIONEM DOMINICAM.

CAPVT IX.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Non difficile cognoscimus, Domine, te perfectæ orationis huius esse Magistrum, cum petitiones hæc omnes tam pulchro se inuicem sequantur ordine. Quid maiori cum appetitu debeant filij optare, quam honorem sui Patris, prosperitatem regni illius, & voluntatis eius obseruantiam? Proprietas itidem filiorum est, (maximè cum paruuli adhuc sunt) à patre suo panem petere. Verbum hoc sæpe repetitur ab illis, maximè cum euriunt; tunc enim obsecrant voce lamentabili, qua paternam mouent viscera, & faciunt, vt panem ipsis distribuat.

Igitur, O Pater cælestis, ego tanquam vnus filiorum tuorum, ætate quidem protector, sed meritis paruulus, famelicus, & multis necessitatibus expositus, panem à te peto, idque cum libertate, qua filij sunt erga suos parentes, hoc est, alimentum ad sustentationem huius vitæ, in quam me vocasti, à te flagito.

Quia vero in me duæ substantiæ sunt, vna corporalis, altera spiritalis: ideo panem peto pro vtraque. Pro corporali panem peto terrenum, pro spiritali verò panem cælestem, qui est panis Angelorum, qui tanquam creaturæ spirituales non alio viuunt nutrimento, quam te ipso, qui cibus es spiritualium substantiarum. Quare & ego, O Pater mi, qui hætenus sedi in Ægypto, inter putridas ollas plenas carne mundanarum voluptatum, iam despiciens hoc pabulum bestiarum, ad te suspiro, à te panem Angelorum, qui de cælo venit, flagito. Hunc quero, hunc volo, hunc humiliter à te peto. O amor inextimabilis, O misericordia inaudita, Deus Deorum, Dominus Dominorum, præmium Sanctorum, gaudium Angelorum, Verbum Patris, Sapientia æterna, Lux mundi, Sol cæli meus cibus factus est. Quid amplius desiderare, quid maioris possum æstimare? Procul igitur a me sit delectari in rebus huius mundi, postquam iam inuenerim cibum præciosum delectabilem, & salutiferum, quem etiam non semper possum sumere sacramentaliter, semper tamen debeo sumere spiritualiter, habitante semper spiritu meo in eo per amorem & continuam recordationem. Miraculum sanctè magnum est, cor humanum pro suauitate huius cibi non deficere, vel liquefieri.

Postquam autem tu, O bone Iesu, iam factus sis cibus meus, & refectio mea, te solum volo manducare, tui solius appetitum cum insatiabili desiderio habere volo. Si enim solus odor tuus totum potest mundum sustentare; quantò magis poterit tua refectio? Si omnes viuamus & sustentemur verbo de ore tuo præcedenti, quantò magis viuunt animæ nostræ per sacramentalem refectioem corporis tui? Sed, ô Domine, qui fieri potest, vt corda nostra non deficiant à tua præsentia? qui sit vt anima mea non sic absorbeatur in te, vt sui ipsius, & omnium aliorum præ tui amore obliuiscatur? Si res terrenæ, imò earum tantum imagines & figuræ adeò nonnunquâ cor meum absorbeant, vt me planè faciant tui obliuisci; qui sit, vt etiam realis tua præsentia, sic mihi non dominetur, vt tui amore, quæ mundi sunt, obliuiscar?

Da igitur hodie nobis, O cælestis Pater, hunc panem, vt possideamus illum nunc & in perpetuum. Memento, Domine, filium tuum Vnigenitum pa-

nem hunc vocasse quotidianum, & præcipere, vt hodie petamus. Dic mihi, O bone Iesu, cur tam anxie & sollicitè vis nobis adesse, vt præcipias nos hodie te petere, & non vique in crastinum expectare? quid in nobis vidisti, quod adeò amore nostri ardes, vt vnum diem non velis expectare? Si amor ille, quo nos complecteris, adeò te vrgeat, vt tantam mortuam non feras, nec aduentum nostrum ne tantillum velis differri, sed confestim nobiscum esse velis, cū tibi in hoc nullum sit positum commodum: quantò magis sollicitos oporteret esse nos, qui vermiculi sumus abiectissimi, & tantum inde lucrum capimus, vt tibi iungamur, qui summum bonum es, speculū sine macula, & gaudium Angelorum?

Et postquam tu, O bone Iesu, vt hic ostendis, non vis negotium hoc differre, nos etiam prorogare nō cupimus: & quia mandas, vt hodie, & non in futurum petamus, ecce hodie petimus hanc gratiam, & hodie speramus nos eam consecuturos. Alioquin enim doctrina tua inutilis esset, nec sibi constaret, si hodie peteremus, & obtinere non possemus. Cum igitur cupiamus te hodie possidere, & tu hodie venire ad nos desideres: veni, & in cor nostrum illabere. Tu Domine rotus inflammatus es amore nostri, & cor nostrum vicissim ardet amore tui. Ecce quia pondus amoris te ducit ad nos, & nos ad te trahit: fac Domine, vt sublatis omnibus impedimentis, anima mea tanto te amore amplectatur, vt in amplexibus tuis quasi deliquium patiat, ex gustu ineffabilis tuæ suauitatis & dulcedinis: & quia vis vt te petamus quotidie, (vis enim esse nobiscum perpetuo) nos etiam tecum semper esse cupimus, nec vnquam à te diuelli, qui cibus es suauissimus, animarumque mundarum Sponsus dulcissimus.

Dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

O Bone Iesu, licet tu benignè admodum, & cū magna instantia offers te nobis in pane hoc quotidiano, vereor tamen ad te accedere. Tameo conuiuium Regina Hester, ne mihi accidat, Ester. 7. quod Aman accidit, qui inuitatus ab illa, paulò post ob delicta sua suspensus est. Et quamuis, O Domine mi, hanc non esse tuam intentionem fat sciam, metuo tamen malam meam dispositionem, propter multitudinem meorum peccatorum, quæ super numerum arenæ maris multiplicata sunt. Quis enim vnquam poterit subducere multitudinem vanarum meorum cogitationum, malorum meorum operum, inordinatorumque meorum verborum? siquidem vix iusti norunt suam linguam refrænare? Peccata verò transgressionis, & omissionis quis numerabit? quid igitur faciam, Domine, in hoc certamine? Tu quidem ab vna parte me inuitas ad mensam tuam, Angeli me vocant, fames me stimulat, vt accedam: sed sentio ab altera parte meorum peccatorum multitudinem, quæ me retrahit, & animum despondere facit. Quia verò mihi licentiam dedisti, vt te Patrè appellarem, veniam ad te cum penitentia, & affectu filij, petamque peccatorum meorum remissionem, quæ merito debita nomino. Qui enim furatur quod alterius est, debitor illius est: cumque nos, cum omnibus quæ habemus, tui simus, eaque in cultum & obsequium tuum expendere debeamus, id non tantum non fecimus, sed etiam cum omnibus, & in omnibus te offendimus: ideoque manifestum est, nos tui seruitij & honoris, quem tibi negamus, esse debitores.

Dimitte igitur, O Domine, nobis hæc debita, cū præcipias nobis eorum remissionem petere. O ad-

Ccc 4

mirabi-

mirabilis clementia Domini nostri: cum nos eum despexerimus, & rebus tam vilibus & abiectis permutauerimus, ille nihilominus ipse iubet, ut indulgentiam petamus, & cum ipse latus sit, pacem tamen offert, & reconciliationem. Hanc misericordiam non exhibuit Angelis, qui peccauerunt: perseverant enim, & perseverabunt semper in suis iniquitatibus. Sed tu, Domine, cum habeas satisfactionem tam imensam pro debitis nostris, sanguinem scilicet vni-geniti Filij tui, vis nos remissionem à te postulare. Dimitte igitur omnes offensas nostras, quemadmodum & nos dimittimus illis, qui nos offenderunt, O felix offensa, o beatum debitum, quod postquam nos dimiserimus, illud in iudicium pro nobis allegare possumus, & ratione illius remissionem petere.

Quapropter non debemus contristari, cum homines nos offendunt, persequuntur, & omne malum aduersum nos dicunt vel faciunt; sed deberemus letari potius in eo, & vltro desiderare: dum enim nos has iniurias dimittimus, possumus facilius veniam obtinere offensarum, quas in Deum committimus. Nec oportet dubitare, sed certo certius credendum est, hanc allegationem, quam docet hic noster Iudex & aduocatus, maximi coram illo esse momenti. Ideo Rex David patienter tulit omnia maledicta & iniurias Semei, qui ei maledicebat: sciebat enim hoc iurare ut cum Deo reconciliaretur.

Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Amen.

Quid prodest mihi, Domine, si dimittatur mihi debita antiqua, & denuo noua contraham? quid prodest me lauari à mortuis, si locus iterum cadauer tangam? Quare, Domine mihi, si permiseris nos tentari ad nostram humilitatem, exercitiū, patientiam, & coronam augendam; denique ut in medijs tentationibus constituti & afflicti ad te, tanquam ad Patrem nostrum, recurramus: noli saltem permittere, ut à tentationibus vincamur. Fragilitas nostra tanta est, ut non possimus non cadere, sine tua gratia; quam ubi acceperimus, non possumus perficere sine tuo singulari auxilio: datur enim multis gratia, sed non omnibus perseverantia.

Vides, Domine, quam multi sunt inimici nostri, & quot invidia nobis struuntur. Caro est inimica domestica, continua, & familiaris. Mundus est illusor, impostor, mendax, & proditor. Dæmon est crudelis, fortis, astutus, & in impugnando exercitissimus. Inter tantas igitur copias hostium meorum constitutus, inter tot carnis nostræ fautores, & inter tot spiritus persecutores relictus, quid faciam Domine, si tu me deseras? Quid faciet infelix ouicula, inter tot lupos? creatura infirma, inter tot hostiles gladios? quid faciam Domine? non inuenio aliud remedium, quam ut te inuocem, ad te clamem, tanquam pullus hirundinis, ad te gemam & suspirem sicut columba? Quid faciam, nisi ut leuem oculos meos in montes, vnde venit auxilium mihi?

Eleuo igitur oculos meos ad te, qui habitas in cælis; ad te leuo animam meam, Deus meus, in te spero, ne confundar in æternum: intende in adiutorium meum & noli tardare. *Usquequo Domine obliuisceris me in finem? usquequo auertis faciem tuam à me? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium? Quando plane liber ero ab illis, & perueniam ad te? Quando erit, ut nemo amplius me possit à te separare? Quando mortuus ero rebus omnibus, quæ sunt in hoc seculo, imò & mihi ipsi, ut libenter properem ad te? Quando rerum omnium obliuiscar, ut sensus & cogitationes meæ in te solo,*

& circa te occupentur? Quando omnia præter te mihi foredebunt? Quando ero totus tuus ex mea voluntate, cum tuus totus sim ex iustitia?

O Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, da mihi hanc gratiam, ut moriar omnibus meis affectibus, & moriar etiam mihi ipsi, omnibusque inimicis meis, tibi autem solum viuam. O Pater, O Rex, O Domine, O summum bonum meum, & centrum animæ meæ, da ut habitem in te, quiescam in te, nec aliam gloriam, aut thesaurum habeam præter te solum. Pro cunctis his gratiis interpellamus te, per amorem vni-geniti Filij tui, qui est noster aduocatus, sacerdos, sacrificium, & patronus coram te. *Non enim in iustificationibus nostris proferimus preces ante faciem tuam, ut ait Propheta, si in meritis tuis multis, & in meritis Filij tui Domini nostri: quidquid enim ille fecit, & quidquid passus est in hoc mundo, id omne pro nobis fecit & passus est. Per eum itaque oramus te, ut liberes nos. Per eum creasti omnia: & per eum recuperasti, quæ perita erant. Per eum creasti hominem ad imaginem & similitudinem tuam: & ad eandem imaginem hominem per eum restituiisti. Ille fundamentum est nostræ iustitiæ, nostrorum meritorum causa: ille apud te noster est intercessor, aduocatus nostrarum causarum, & præcipuum robur nostræ spei. Per hunc itaque petimus omnes has gratias: quod enim non debetur nostræ iustitiæ, id debetur illius gratiæ. Si in nobis nihil boni inuenieris, ecce in illo nihil inuenies mali. Si ex parte nostra desint merita, ex parte eius abundant. Per eum igitur te oramus, per eum tibi supplicamus, honora illum in nobis: quod enim nobis tribuis, hoc ipsum tribuis illi: & quidquid datur membris, id omne datur capiti, cuius membra sunt. Et si à nobis ipsis nihil habeamus, quod tibi offeramus, ne tamen vacui veniamus in tuum conspectum, immolamus tibi Filium tuum, cum omnibus eius laboribus & obsequiis, quæ tibi præstitit à præsepio ad crucem usque: nos enim omnium horum sumus participes. His muneribus, & hoc pignore freti ad te venimus, & à te misericordiam, per iustitiam petimus: iustitiam, si Filium tuum respexeris; misericordiam, si nos intuearis.*

Sed super hæc omnia, O Pater æternæ, considera & attende nos venire missos à Filio tuo, qui nobis præcepit petere à te in nomine suo, & ad hoc tradidit nobis verba tibi cognita, & familiaria: quæ nunc recitauimus. Agnosce illa, Domine: sunt enim verba Filij tui, quæ nobis reliquit ad nostram salutem. Recordare quòd quando prudens illa mulier de Thecua petijt à Davide veniam filio eiusdem Davidis Absoloni, mox ut intellexit Rex, illam petitionem ex mandato Ioab supremi exercitus sui Imperatoris institutam, concessit quod petijt, & placatus est: quare & idem Ioab Regi gratias egit, confessus hæc gratiam non factam mulieri, quæ eam petebat, sed sibi ipsi. Sic ego, Domine mitor hic ab vni-genito Filio, ille est qui posuit mihi hæc verba in ore meo, ut ea coram te proferrem: ille est qui te orat per me; & quod mihi tribuis, hoc tribuis illi, & ille tibi gratias reddet immortales.

Memento quoque, Domine, quòd non dampnasti, sed laudasti malum illum bonorum tuorum dissipatorem, quòd fecerat sibi amicos, qui eum, ubi ad egestatem veniret, iuuarent, & in tabernacula sua reciperent. Quare & ego, qui creaturarum omnium sum pauperissimus, qui opes tuas male expendi & dilapidavi, Filio tuo me adiungere laboro, quo per eum praualeam, ut cum ipse tam inops meritorum sim, eius merita mihi subsidio sint & me adiuuent. Et quia adeò magni momenti est in conspectum tuum non venire sine spiritali fratre nostro Beniamin,

2. Reg. 16.

Psal. 12.

Psal. 118.

Dan. 9.

2. Reg. 14.

Luc. 16.

iamin, (hoc est, vnigenito Filio tuo) ecce eum, ecce habemus eum hic, & offerimus eum tibi, vt eius intercessionem benignè à te exaudiamur. Et tu vnigenite Fili Dei, qui etiam filius hominis es, extende super nos brachium tuum, tu enim es noster protector, & tuo pallio tege nuditatem & paupertatem nostram, & ne repellas à tua gratia, quos tuæ na-

turæ fecisti fratres & socios. Qui viuīs & regnas cum Patre & sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.

ULTIMA ORATIO, PRO IMPE-
trando amore Dei, quæ incipit; Si obligatio qua be-
nefactoribus &c. habetur libro quinto pagina 491.

FINIS MEMORIALIS CHRISTIANÆ VITÆ, MICHAËLE AB
ISSELT INTERPRETE.

Sequens Epistola beneuole Lector, dedicatoria est Memorialis; quare
ad pag. 378. referenda.

SERENISSIMÆ DOMINÆ MARIÆ, IN-
FANTI LVSTITANIAE, F. LVDOVICVS
GRANATENSIS.

S. P.



ANTE dies non ita multos, Serenissima Domina, Maiestati vestræ Memorialis hoc vitæ Christianæ dedicavi, non ignorans me Christianissime Catholicissimeque vitæ illius nihil pretiosius, nihil gratius offerre potuisse hoc opere, in quo talis materia tractatur. Diuino autem fauore, Serenissimique nominis vestri auspicijs opus hoc omnibus tam gratum & acceptum fuit, vt in hac sola ciuitate Vlyssiponensi (in qua diuina gratia vnitas & sinceritas fidei, cum deuotione & religione fidelium mirum in modum viget) tota editio distracta sit & vendita. Cumque Typographus ad secundam editionem sese accingeret, rogauit me, vt priorem per-
lustrarem, & si alibi peccatum esset, id emendarem. Quod dum facio, multa mihi noua occurrebant, quæ ad propositum meum facere videbantur tam appositè, vt continere me non potuerim, quin ea suis locis in-
sererem. Quo factum est, vt liber sic creuerit, quod licet pristinum nomen retineat, nouus tamen non immeritò videri potest: maxime cum alios exiguos Tractatus nonnullos, in hac vrbe excusos, huic operi adiecerim: vt fieret vnum corpus absolutum, ad vnum finem ordinatum, vt postea dicetur, ipsaque opuscula melius con-
seruari, quæ alioquin diuisa & nimis parua cum sint, facile intercidere & perire potuissent. Sed quem-
admodum opus hoc in lucem prodire volui, sic etiam cupio, vt sub glorioso Maiestatis tuæ nomine prodeat semper, vt in subsequenti editionibus idem sit successus, qui in prima: omnibusque hominibus nostri la-
bores sint magis accepti. Deus Opt. ter Max. Serenissimam Maiestatem tuam, cum statu regni co-
tius, quàm diutissime seruet incolumem, & tandem ex hac vitæ ad æle-
stem curiam transferat.



REVE-